12

WALCHIUS

MAGISTRATIBVS ROMANORVM VETERVM COMMENTARIVS

EX LIBRO MANVSCRIPTO FLORENTINO

EDIDIT

IOANN. ERNEST. IMMAN. WALCHIVS

PROF. PVBL. SOCIETAT. LAT. IENEN[redacted]



LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

CIↃIↃCCLII.

BERNARDI ORICELLARII

DE

MAGISTRATIBVS ROMANORVM VETERVM

COMMENTARIVS.

EX LIBRO MANVSCRIPTO

FLORENTINO

EDIDIT

IOANN. ERNEST. IMMAN. WALCHIVS

PROF. PVBL. SOCIET. LAT. IENENS. DIRECTOR



LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

CIↃIↃCCLII.

VIRO

CELEBERRIMO

ANTONIO FRANC GORIO

BASILIC. BAPTISTER. FLORENTIN. PRAEPOSITO

ET HISTORIARVM PROFESSORI LYCEI FLORENTINI

LONGE MERITISSIMO

FAVTORI SVMMOPERE COLENDO

S. P. D

IO. ERN. IMMAN. WALCHIVS

VIR
CELEBERRIME

QVEM aliquot ante annis mihi, apud TE commoranti abitumque ad paternos lares paraturo, tradidisti, ORICELLARIVM TVVM ad TE ex Germania nostra redire iubeo TEque ipsum, noua nunc indutum veste, pro TVA, qua soles, humanitate benigne excepturum esse, tuto confido. Non poenitebit me laboris et, quam pro virium modo in eo expoliendo insumsi, operae, si modo TIBI TVISque litteratis ciuibus, in quorum maioribus ORICELLARIVS maxime enituit, hos meos, qualescunque sint, conatus haud penitus displicuisse cognouero. Certe, si quid sit, quod in hoc a me suscepto negotio desiderari posse, videatur; in ipso tamen auctore, siue delectari quis legendo velit; siue erudiri, scio nihil iure desiderari TIBIque omne, quicquid vtilitatis optimus hic scriptor adtulerit, vel eo nomine deberi, quod TVIS potissimum auspiciis TVOque consilio factum sit, vt ex tenebris, in quibus tam diu delituit, in lucem a me extraheretur publicam. TIBI

igitur,

igitur, VIR CELEBERRIME, auctorem hunc publice consecrandum existimaui, non solum vt gratae mentis declarandae honesta mihi esset et expedita ratio, neque ingratus viderer huiusque beneficii immemor; sed etiam vt omnes intelligant, cuinam acceptum ferant politissimi huius scriptoris vsum atque insignem, qui iure exspectandus est, lectionis fructum. Id quod vti sincere profiteor animumque obstrictissimum deuinctissimumque TIBI spondeo; sic, vt mansuetiorum musarum salus firma maneat ac stabilis, pro TE, illarum salutis tam strenuo et indefesso custode: tam grauissimo earum, quo olim fulserunt, splendoris vindice, tota cum omnibus, qui litteras amant, nuncupo. TVA, quae praestantissima ingenii monimenta, quibus seculum TIBI deuinxisti, aeque admiror ac praeclarum TVVM et paene inuidendum ad immortalitatem cursum. Vale, VIR CELEBERRIME, complectere me, vti adhuc fecisti, TVA beneuolentia, ac praestantissimos SOCIOS COLVMBARIOS, in quorum amplissimum collegium nuper me cooptatum esse, gaudeo, meo nomine saluta ipsisque significa, meam erga illustrem hanc et florentissimam societatem obseruantiam esse tantam, quanta cogitari possit maxima. Ienae, d. XII. febr. cIↃIↃccLII.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D

IOANN. ERNEST. IMMAN. WALCHIVS

Etsi varia, quibus proxime ſuperiora ſecula fertilia fuerunt, ingeniorum monimenta ex bibliothecarum clauſtris in lucem protracta ſunt publicam, quae ſi in cubiculis ſuis, velut in perpetuo carcere, delituiſſent, et eorum auctoribus honorificentius; et poſteris vtilius et ſolidae eruditionis commodis aptius fuiſſe, iure meritoque arbitror; huius tamen ſcriptoris, quam exſpectat, fortunae non adeo diffido, vt aut fruſtra ſuſcepti laboris poenam; aut gloriae, quam ille ſibi multis iam modis comparauit, diminutio-

nem mihi credam esse pertimescendam. De BERNARDO ORICELLARIO loquor, opusculi huius elegantissimi artifice et fabricatore, de cuius vita rebusque praeclare gestis: de aliis, quibuscum sanguinis vinculo coniunctus fuit, illustris huius nominis heredibus deque ipsorum in ciues pariter ac politiores musas insignibus meritis multa forent dicenda; nolo autem in talem me demittere fundum, qualem ab aliis et nominatim ab eruditissimo Anglo IOANNE BRIDLEIO *) occupatum esse video. Dicam breuiter de ipsa hac, quam typis describendam curaui, commentatione, deque aliis rebus, quae ad illam maxime spectare mihi videntur.

IPSIVS ORICELLARII nominis quamquam in eo, ex quo meum huius libelli exemplum descriptum fuit, codice vel vllum vestigium relictum; aut viri huius doctissimi mentionem factam esse, nusquam reperimus; varia tamen eaque grauissima adesse puto, quae me moueant, argumenta, vt hoc commentariolum nullius, quam Oricellariani ingenii statuam esse fetum. Quod si enim praeclarum ipsius, quod de rebus in Italia gestis, scripsit, opus legeris: si in primis ad dicendi genus, ad quod auctor adspirat, animum aduerteris, id in vtroque libro non modo sibi simillimum, sed et idem esse, vel pauca peruolutando, facili negotio obseruabis. In ipso porro codice, qui

*) *Praefatione*, quam ORICELLARII huius *historiae de rebus in Italia gestis*, an. CIↃCCCCLXXXIII. *siue ab aduentu Caroli VII. regis Galliae in Ital.* ex libro manu exarato Londini CIↃIↃCCXXIV. editae, praemisit.

qui in bibliotheca Gaddiorum Florentiae visitur, Oricellarii manu nonnulla emendata et correcta, varia quoque partim deleta: partim addita sunt, id quod cur fecisset noster Bernardus in alius ingenii specimine, caussam video nullam. Accedit, quod maximum in his rebus censetur, ipsum nostri scriptoris de se deque ipso hoc opusculo praeclarum ac luculentum testimonium, quantum ex his cel. ANT. FRANC. GORII verbis, ad codicem meum scriptis, potest intelligi: *plura sunt argumenta, vt adscribam hoc opus* BERNARDO ORICELLARIO: *nam in eo volumine, quod exstat in bibliotheca Riccardia et in quo illustrat P. Victorem de regionibus vrbis, promittit, se scripturum de magistratibus veterum Romanorum*, adeo, vt nulla et ne minima quidem de libelli huius auctore dubitandi adsit caussa.

QVOD si ipsam hanc commentationem respicimus, ea ita est comparata, vt, vtrum ab elegantia dictionis, an ingenii fertilitate, aut argumenti iucunditate maior ei accedat commendatio, ipse me nescire, libentissime fatear. Libro primo officia magistratuum adcurate percenset et in hoc argumento haud vulgarem de grauissimis rebus solide iudicandi facultatem luculenter demonstrat. Disputat de seriis ita, vt, dum grauissimi morum et rectae vitae magistri personam induit, sermo eius simul nescio quid leporis habeat ac festiuitatis, ac per totam commentationem grauitas singularis ac decora vrbanitas aeque diffusa ac dispersa seueraque, quam tractat, disciplina his condimentis mitigata esse videatur. Libro secundo in explicanda

 da

da atque enodanda veterum magistratuum Romanorum ratione dilucide noster auctor versatur; nec vllos credo facile reperiri, quibus opera, ab eo adhibita, leuis; ipsa vero argumentorum tractatio tenuis atque exilis et, qui ad harum rerum amatores redundet, fructus exiguus videatur, si modo aetatem cogitauerint, qua vixit; nec primoribus solum labris id studiorum genus gustauerint; aut extremis, vt dicitur, id adtigerint digitis. Sunt, quod nemo; nisi hebes ac imperitus, facile negabit, sunt, inquam, qui in eodem campo, in quo ORICELLARIVS noster ingenium exercuit, virium suarum periculum fecerunt. Addo, eorum plurimos longe praestantioribus melioribusque praesidiis fuisse instructos; quam quae benignior fortuna Oricellarii aeuo indulsit; neque infitior, varias huius antiquitatum Romanarum studii partes a recentioribus scriptoribus et solidius disputatas et maiori testimoniorum adparatu fultas esse et corroboratas. Libentissime porro largior, eorum multa, quae prisci ingenii; licet saepe acutissimi, aciem vel plane, vel ad partem tantum effugerunt, in lucem hodie optatissimam vocata, multasque vetustioris aeui nubes ac tenebras, accenso longe clariori litterarum lumine, feliciter dissipatas esse; sed his omnibus de Oricellarii laude eiusque, quem conscripsit, libelli praestantia quidquam detrahi posse, vt credam, nunquam a me impetrabo. Quanto magis de tam insignibus, quas nostro potissimum aeuo litterae mansuetiores fecerunt, subsidiorum honorumque accessionibus laetor; laetor vero quam maxime, tanto

to firmiorem eorum existimo esse sententiam, qui vtrosque scriptores, tam quos nostra tulit aetas; quam qui superioribus seculis post renatas litteras ingenii et doctrinae laude floruerunt, arcto coniungendos esse vinculo; neque, illos vnice sequendos; hos aspernandos esse, indicant. Quid? quod tantum abesse credam, vt posthabitis omnibus, quae seculum potissimum decimum quintum sapiunt, feliciores in antiquitatum profanarum campo progressiones faciamus; vt eo difficiliorem in his stadiis cursum teneamus, quo puriores plerumque fontes fuerunt, ex quibus optimi illi musarum antistites suam hauserunt antiquarum rerum cognitionem. Idem et summo quidem iure de ORICELLARIO nostro tenendum est. Quem, si tot, quot hodie nobis sunt, praesidiis quasi stipatus fuisset, plura et discutere aptius et exponere fusius potuisse, equidem haud nego; simul tamen ipsum vel ideo maximi faciendum iure meritoque arbitror, quod riuulos neque sectatus est; neque sectari facile potuit; sed limpidissimos adiit fontes: optimos et probatissimos tam veteris Graeciae; quam Latii auctores singulari industria perlegit, ac, quae ad ipsius rem facere videbantur, hinc inde dispersa, in breue hoc opusculum apte sciteque coegit. Proinde factum est, vt multa veterum scriptorum insignia effata, LIVII potissimum et DIONYSII *Halicarnassensis* adnotaret atque excerperet, quae frustra apud alios harum rerum scriptores quaesiueris. Sexcenta vero recentiorum scriptorum nomina, ex PITISCO, FABRICIO ac librorum indicibus compilata, si quid probandum est, aut

confir-

confirmandum, non tanti apud me sunt pretii, aut ponderis, quanti vel vnicum aut Liuii, aut Ciceronis, aut alius probae fidei scriptoris ea de re insigne et luculentum testimonium. Scribendi ratio, quam adhibuit ORICELLARIVS noster, est elegans ac summas prae me habere mihi videor rationes, ipsi inter eos haud infimum adsignandi locum, qui tum in Italia exstiterunt grauissimi reuiuiscentium litterarum splendoris vindices eorumque salutis strenui statores. Tuetur vbiuis linguae Romanae castitatem ac polita vtitur oratione. Saepe Ciceronem, vel Liuium tibi audire videberis; nec fallet te aurium iudicium, siquidem is vtrumque scriptorem haud raro ad verbum, et tam feliciter, expressit, vt dicendi, quod adfectauit, genus vix inconstantiae nomine accusare, aut multiforme disparque sui esse, dicere te posse, credam. Idem obseruabis tum, quum Senecam imitandum sibi proposuit, ideo vt antiquitatum pariter ac politioris stili cultoribus aeque placiturum Bernardum nostrum esse, haud vnam, quae suadeat, adesse rationem arbitrer.


ADDO pauca de codice manu exarato, ex quo libellum hunc in publicam lucem emitto. Latuit is diu in instructissima Gaddiorum Florentina bibliotheca, ad quam quum celeberrimo et ad ornanda litterarum studia nato ANT. FRANC. GORIO aditus pateret, factum est, vt anno CIↃIↃCCXXXV dictus ille codex in manus eius incideret. Ex quo quum et argumenti dignitatem et sermonis elegantiam vbiuis elucere, animaduertisset, optimum hunc libellum diutius in his cancellis remanere, minime passus

est;


eſt; ſed eum, quod vetuſtate detritus erat, de nouo deſcribendum curauit, deſcriptumque in ſuum muſeum tranſtulit, eo conſilio, vt is, ſi ferret occaſio et adeſſet, qui impenſas in ſe ſuſciperet, cum erudito coetu communicaretur. Sine dubio id iam pridem ab ipſo doctiſſimo viro factum fuiſſet; niſi alia grauiora, quibus ſe implicitum vidit, negotia ab hoc laudabili inſtituto eum reuocaſſent. Quapropter per mihi gratum atque iucundum accidit, quum ipſe anno CIↃIↃCCXLVII. Florentiae per aliquod tempus commorarer et apud cel. virum ſermo et in Oricellarium hunc, neſcio quo caſu, incideret, vt ille, quae eius ſingularis erat erga me beneuolentia ac nimia in tenues meas vires fiducia, ſponte codicem hunc mihi offerret: quam ante ipſe ſuſceperat, editoris prouinciam perhumaniter in me deuolueret atque Oricellarium ſuum mecum in Germaniam migrare iuberet. Pro qua inſigni eius erga me beneuolentia vti maximas ipſi habui gratias; ſic omnem meam operam, quantum potui, in eo collocaui, vt nouus hic itineris comes fortunam in Germania experiretur benignam, ac futurus quaſi Germaniae inquilinus, nouo exornaretur habitu.

SVPEREST itaque, vt, quae ipſe ad expoliendum optimum hunc ſcriptorem egerim, quaeue ſuſceperim, breuiter oſtendam. Nolui commentarium in Oricellarium ſcribere; aut ad ſupplenda ea, quae cognoui a meo auctore aut omiſſa; aut breuiter adnotata eſſe, copioſiſſime effundere, quae a ſexcentis aliis antiquitatum Romanarum ſcriptoribus et diſputata ſubtiliter, et expoſita docte et fuſe fuerunt. Neque ego me credo egreſſum vnquam cancel-

los, quos mihi ipſe tum, quum opus hoc adgrederer, circumdedi. Adnotaui ſolum ea, quae prae ceteris animaduerſione digna mihi ſunt viſa. In primis vero in eo ſtudium meum poſui, vt omnia veterum auctorum effata, ad quae ſaepe numero tacite auctor prouocauit; aut, ſi et teſtis adduxit nomen; locum tamen teſtimonii more ſui aeui haud ſignificauit, pro virium ratione indicarem, id quod tantum mihi ſaepe negotii faceſſiuit, quantum temporis vix copioſiſſimis adnotationibus comportandis tribuere neceſſe habuiſſem. Ipſa, quae excitauit auctor, veterum ſcriptorum teſtimonia a noſtris editionibus, maxime in nominibus, aberrare, haud raro obſeruaui; nolui vero omnibus ſcribendi vitiis ac erroribus honorificum *lectionum variantium* nomen tribuere. Emendaui itaque ex optimis veterum ſcriptorum editionibus, vbi aperta corruptionis ſigna deprehendi et, ſi quae male adfecta in ipſius auctoris verbis occurrebant; his non prius; quam vbi ſumma efflagitabat neceſſitas, medicinam ex ingenio paraui. Ipſum opuſculum neque in libros; neque in capita fuit diſtributum; vtrumque vero diſtinguendi genus propter lectionis commoditatem ſi adiicerem, haud inconſultum fore, arbitratus ſum. Tu vero, lector beneuole, vale mihique ac meis conatibus faue. Ienae, d. XII Iul. anno reparatae ſalutis CIↃIↃCCLII.



LIBER



LIBER I
DE
OFFICIIS MAGISTRATVVM

CAPVT I



ILLVD vnum fixum animo tenendum eſt: oportere magiſtratum habere deum propitium. Sic enim firmum iecerit fundamentum omnium, quae mente conceperit atque dicturus facturusque erit; aduerſa vero omnia experietur, contemto numine. Itaque nihil, quod ad dei cultum pertineat, negligendum eſt, quod inſtitutum non modo ipſe magiſtratus perſeueranter tenere debet; ſed ab omni eius familia teneri firmiter et ab omnibus, qui eius fidei commiſſi ſunt, obſeruari, ab eo curandum eſt, quod quidem erit vtiliſſimum. Nam, vbi religio colitur, ſanctius viuatur, oportet, et moderatius. Coerciti enim diuinarum legum vinculo, metuque caeleſtis ſupplicii deterriti, efficimur ad delicta tardiores, et ad officium et honeſtatem promtiores. Veremur enim, ne quid ſuperbe, auare, crudeliter, immunde faciamus: ne impii: ne ingrati eſſe, videamur, putamusque conſtanter, nihil in terris committi mali ſine ſupplicio; nec quidquam praeſtari boni ſine praemio. Itaque religio plurimum valet ad ſcelera coercenda; non minus ad virtutem excitandam. Quapropter non modo magiſtratus, verum etiam ceteri omnes tanto habentur meliores; quanto ad religionem et rem diuinam omni ſtudio et facultate propenſiores eſſe, videntur. Inde enim gignitur quaedam virtutis opinio, et modeſtiae ſingularis, quae plurimum pollet ad mentes hominum illiciendas, flectendas, concitandas, leniendas, exaſperandas. Nec vero, qui imperatorem deum contemnit, honeſtatem colere putatur; huius neque vita laudari, neque res geſtae probari poſſunt, eſtque a publicis gubernaculis longe abiiciendus, quum neque

ipſe praeclara; aut vtilia gerere; nec ceteros ad ea gerenda hortari valeat; aut, ſi fuerit hortatus, nemo eſt, qui adſentiatur honeſta ſuadenti. Tanta pii et religioſi hominis eſt veneratio, vt, quidquid velit perſuaderi, dici non poſſit, quam facilis ſit omnium adſenſus.

CAPVT II

VALET igitur religio plurimum in omnibus rebus gerendis: tum his, qui in re publica verſantur, maxime eſt neceſſaria. Sed, quoniam magiſtratum oportet eſſe prudentem, iuſtum, fortem et temperantem, qua ratione id certe fiat, breuiter eſt differendum, ſiquidem magiſtratus vndecunque vir conſummatus eſſe debet. Vnde iure a BIANTE dictum eſt, *magiſtratus virum oſtendit.* a) Eſt igitur prudentia poſita in conſiliis capiendis, cuius munus eſt, bene conſulere et, quid agendum ſit, bene imperare et rationem officiorum reddere. Siquidem prudentia eſt poſita in veri veſtigatione, et vera opinari, vt ſcribit SENECA, pulchrum eſt, mentiri turpe. Si enim prudens eſſe cupis, quod idem ſapienter monet, in futura curam intende, et, quae poſſunt contingere, animo tuo propone: nihil tibi ſubitum ſit; ſed totum ante conſpicies. Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur, praeſentia ordina: futura prouide: praeterita recordare. Nam qui nihil de praeterito cogitat, perdet vitam: qui nihil de futuro praemeditatur, in omnia incautus incidit. Eſt autem, vt idem obſeruat, prudentiae proprium, examinare conſilia, et non cito facili credulitate ad falſa prolabi. Vnde idem ait, de dubiis non definias; ſed ſuſpenſam tene ſententiam, nihil inexpertus adfirmes, quod faciet prudens, cuius propria actio eſt indagare, et inuenire verum. Eſt enim prudentia habitus verus cum ratione, qui in iis agendis verſatur, quae ſunt homini bona et mala, vt ſcribit ARISTOTELES. b) Prudentes ſunt, qui publicis priuatisque rebus adminiſtrandis ſunt apti; ſapientia vero proprias commoditates ſpernit. Et haec eſt ſcientia et intellectus rerum pretioſiſſimarum, cui qui ſtudent, ſapientes adpellantur, vt Anaxagoras et Thales innumerique alii ſenſerunt, qui, propria commoda ignorantes, [illegible]os ſe eorum inueſtigationi dediderunt, quae ſunt eximia, admiranda, difficilia, diuina. Itaque PLATO vult c) philoſophos ſponte ſua ad munera rei publicae obeunda accedere, quae tunc tamen optime admi-

a) apud ARISTOTELEM *libr.* V. *ethic. cap.* 3. *tom.* II. *operum*, p. 34.

b) *libr.* VI. *ethic. cap.* V. ſq. *tom.* II. *operum*, p. 44. ſq.

c) *libr.* V. *de republ. tom.* II. *operum*, p. 473. ſq. p. 501.

administratur; quum philosophi eam gubernant et regunt; aut quum ipsi reges philosophantur, vt Cato apud CICERONEM [d]) in hanc sententiam loquitur. Quum autem ad tuendos, conseruandosque homines hominem natum esse videamus: consentaneum est huic naturae, vt sapiens velit gerere et administrare rem publicam. Vnde hi, qui ingenio valent, et fugiunt rei publicae munera, ab officio discedunt, et eam sinunt perire, pro qua vsque ad mortem certandum est. In praeceps tendit res publica, quum iuuenum consiliis et sententia regitur; detrimentum autem nullum maius potest accidere rei publicae; quam a pessimo regi homine. Ait enim Socrates apud PLATONEM: [e]) praua anima male imperabit; bona vero omnia recta faciet: iniustitia praebet inuicem odia, pugnas et seditiones; consensum vero amicitiamque iustitia. PLATO tamen: ciues, si boni sint, non debere arbitratur sponte ad rem publicam accedere, ne videantur aut pretio adlecti; aut propter auaritiae crimen; aut cupiditate honoris adducti, quod est hominis ambitiosi. Ex quo enim turpissimum visum, sponte sua quempiam ad regimen accedere, hac de caussa, neque pecunia, neque honore ductos bonos homines imperare voluisse, memorat. Oportet igitur, illis necessitatem imponi et mulctam, si impellendi sunt, vt velint magistratum suscipere. Maxima vero mulcta est, administrationi malorum subiici; nisi ipsi susceperint rei publicae gubernaculum, ad quod accedunt, tamquam ad rem necessariam, quum neque melioribus; neque similibus se committere audeant.

CAPVT III

EST prudentia habitus naturalis, cuius contrarium dicitur malitia. Inspicit autem prudentia veritatem, cuius inspectio, vt PLATO ait, quam habeat voluptatem, impossibile est, alium, praeter philosophum, gustare posse. Adde etiam, quod veritas sit obiectum ipsius intellectus, qui tunc perfectus est, quum habet scientiam, quae est rerum verarum; verum quippe est id, quod scitur. Itaque bonum mentis est ipsa veritas et recta cognitio: itaque PLATO scribit: [f]) *verum mendacium, si modo verum dici potest, omnes homines pariter oderunt, atque dii*, et alibi ait: *virtus est sanitas quaedam et bona valetudo ipsius animae; malitia*

d) de *senectute*, *cap*. IV.

e) *libr*. I. *de republ. tom*. II. *operum* p. 351. adde *libr*. I. de legibus p. 644. *libr*. V. p. 736. et *libr*. III. p. 689.

f) *libr*. II. *de republ. tom*. III. *oper*. p. 382.

litia vero morbus, turpitudo et infirmitas. g) Sunt tamen, qui, prudentiam, nisi per adplicationem ad singulas virtutes, esse virtutem, negent. Est profecto prudentia in magistratu ita necessaria, vt nihil magis; qua praesentia recte curet: futuris prospiciat, et praeterita ad salutem reipublicae repetat: qua bonos a malis secernat, et illos deliberandis rebus recipiat, hos, quantum fieri potest, abiiciat, et radicitus exstirpet. At, si hoc fieri nequeat, propter multitudinem improborum, quibus, vt XENOPHON ait, plurimum ciuitates abundant; depurgationem quamdam adhibebit, tamquam a lolio frumenti. Pertinet etiam ad magistratus prudentiam, obseruare vnumquemque, vt officium, vt mores, vt aetas, vt auctoritas postulabit, interdum vt genus, si a virtutis opinione non abhorreat. Est et eiusdem prudentiae munus, bonorum consilio vti, quo nihil speciosius: nihil tranquillius agi potest. Hinc enim ciuitatis salus, stabilitas et robur constat. Quam ob rem, quorum sit integritas spectata, mores probati, auctoritas non vulgaris, aetas non contemnenda, genus non despectum, eorum sententias magistratus minime adspernabitur. Ita fiet, vt non solum ex re bene gesta; sed etiam, quia consilio clarorum virorum vsus sit, laudem consequatur, vt, si vel maxime cupiant detractores, rerum a se gestarum exitum improbare non possint. Hinc ZENO eos commendandos inprimis censet, qui ab aliis moneri malunt, quam ipsi suo ductu rem gerere, vt, quamquam, industria freti sua, valeant ipsi ingenio, et consilio sint perspicaci; tamen, quid ceteris quoque videatur, explorent. Quapropter adhibenda est in rebus agendis optimorum consultatio. Pessimi vero ciues, vt diuinus PLATO monet, careant splendore: iaceant oppressa vitia, nullusque pateat aditus ad dignitatem; nec vnquam extollantur; at bonorum honestissimis consiliis referta sit ciuitas: ferueat optimorum auspiciis res publica, ductuque illorum exeant in aciem, et prodeant legum decretorumque vexilla, et pacis cohortes, illis ducibus, suo in loco statuantur. Vbi enim improbitas valet, non imperium illud quidem dicendum est, non ciuitas, non res publica; sed tyrannis et secessio, ac temeraria sicariorum turbulentia, praeceps ad omnia flagitia. Quo quum deducta res est, quaeque res publica funditus euertatur, necesse est. Itaque olim a Romanis censores optimo consilio instituti sunt, quibus esset morum cura, quique pessimum quemque senatu reliquisque ordinibus pellerent, qua dignitate et officio, nihil vmquam sanctius Roma vidit. Floruisse enim rem publicam scimus, quam diu bonorum consilia

g) *Sophist. tom.* I. *oper*. p. 228.

sia valuerunt; postea vero quam ad nefarios perducta res est, ortae ciuiles discordiae, bellaque intestina rem publicam atque imperium sustulerunt. Eam ob rem Philippus, Alexandri pater, quum opprimere Atheniensium libertatem statuisset: dari sibi sapientiores vrbis, postulauit, vt, eorum consiliis spoliata ciuitas facilius in discrimen et seruitutem traduceretur. Intelligebat callidus rex, non plus valere foris strenuum militem, quam egregium ciuem domi, ad rem publicam defendendam, a quo quum esset destituta, citius, quam a milite deserta, caperetur. Sic apud HOMERVM Agamemnon, plures sibi dari in castris, optat, Nestores; quam Achilles; quorum alteri manu, alteri consilio valerent.

CAPVT IV

SED quoniam prudentiae partes, quoad fieri potuit, breuiter exsequuti sumus, nunc, quantum iustitia magistratui necessaria sit, quantumque generis humani societatem conseruet, perstringendum videtur. Iustitia, vt CICERO ait, latissime patet. Est autem iustitia, vt ARISTOTELES definit, *habitus electiuus circa ea omnia, in quibus versatur vir studiosus, ad seruandas leges, communis commodi caussa*, [h]) et haec legitima iustitia dicitur. Altera vero iustitia particularis adpellatur, quae ab eodem sic definitur: *iustitia est habitus electiuus circa definitam materiam, vt puta honores, contractus, et cetera id genus, tribuens cuique, quod suum est.* [i]) Comites iustitiae sunt liberalitas, magnificentia, religio, pietas, gratitudo, sanctitas, obedientia, fides, et legum mandatorumque obseruatio, adde aequitatem, bonitatem, veritatem. Est autem iustitia praeclarissima omnium virtutum, et neque hesperus, neque lucifer ita admirabilis est, vt recte monet ARISTOTELES. [k]) Quid? quod prouerbio dici consueuit: *iustitia in se virtutes continet omnes, habetque iustitia*, auctore EVRIPIDE, *os aureum.* Est quidem iustitia virtus perfectissima, ea enim ceteros homines perficit, et, quia est vsus perfectae virtutis, qui eam habet, et ad se, et ad alios vti potest. Itaque SENECA, ex opinione et sententia Stoicorum, iustitiam definit, esse *naturae tacitam conuentionem, in adiutorium multorum inuentam.* Et aliter sic ab eodem definitur: *Iustitia est diuina lex et vinculum societatis humanae*; idemque ait: *si vis esse iustus, Deum time et ama; amabis autem, si in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodesse,*

h) *libr.* V. *ethicor.* p. 33. sq.
i) *loc. excitato.*
k) *libr.* V. *ethic. cap.* 2. *tom.* II. *operum*, p. 33.

esse, et nulli nocere. Itaque Trasymachus apud PLATONEM, *id circo amplectendam iustitiam*, dicit, *quod aliis magis prodest; quam habentibus.* Est enim iustitia virtus ad alium. Pertinet autem ad iustitiam non solum, legibus constituta, dictaque omnia, facta conuentaque custodire; sed pietate et sanctitate in deos: veneratione in parentes vti iubere, et, ne mortui quidem vt spernantur, pati: quibus, sacrificia fieri et iusta, imperat, persolui. Itaque oportet magistratum nec precibus, nec praemio ab aequitate discedere, qui, vt opem ferat, electus est, et iniquitatem depellat. Hinc recte sentiunt, qui censent, caput omnium, quae ad magistratum pertinent, esse iustitiam.

CAPVT V

DEBET igitur magistratus omni ope niti, ne quid superbe, flagitiose, iniuste faciat, dicat, permittat, sitque acerrimus defensor publicae honestatis, maxime omnium, quae ad leges et iura, tam humana, quam etiam diuina, pertineant, habeatque ante oculos praeclaram illam HERACLITI sententiam, leges, vti muros, esse defendendas, quum multo sit periculosius, ciuitatem legibus carere; quam vrbem muris. Tum, qui leges ciuitatis oppugnant, scelestiores habendos esse; quam qui muros, iudicare debemus. Ii enim non solum hostes iudicandi sunt; sed parricidae, quum ea tollant, quibus salus et omnium vita continetur. Etenim turres et propugnacula vim externam depellunt, quae rara est, et non, nisi a potentioribus, infertur, vixque multis seculis solet accidere, vt moenia ariete pulsentur; leges autem quotidiano praesidio ciuitatem ab intestina iniuria tuentur. Muri, ne ab imperatoribus, ne a regibus capiatur ciuitas, opem ferunt, quorum imperium aequum esse potest et tolerabile. Leges prohibent, ne turpi et flagitiosae multitudini, ne improborum libidini seruiamus, quod ferri a viris magni et constantis animi nullo modo potest. Itaque, quisquis leges e ciuitate sustulerit, quietem, libertatem, omniaque sustulerit, quae ad publicam vtilitatem omniumque salutem sunt excogitata, adeo vt, quantum de legibus, tantum de beata vita, de libertate, de ciuium omnium incolumitate subtrahatur. Earum enim ope custoditur libertas: auctoritas honorum retinetur: retunditur temeritas improbae multitudinis: simultates submouentur; alitur concordia: res foris domique amplificatur: passim agitur honestum otium: comprimuntur tumultus: sopiuntur inimicitiae: exstinguuntur odia: omnis omnium ciuium perturbatio depellitur fortunae, opes, dignitates, denique bona omnia legibus

bus conferuantur, florent, atque amplificantur, vt multo firmior sit eorum gloria, qui partum imperium legibus moderati sunt; quam qui bello pepererunt. Diogenem solitum dicere, adfirmant, qua in ciuitate nec leges valerent; nec amnis currens influeret, in ea pernoctandum sapienti non esse, et quod, a PLATONE dictum, nostri auctores vsurparunt: *sine legibus nec domus vlla; nec ciuitas; nec gens; nec vniuersum hominum genus; nec rerum natura omnis; nec ipse mundus stare potest*, quae, etsi, de diuina lege dicta, videntur; effunduntur tamen ad ciuitatum iura; quae ex illa priore, tamquam in riuos e viuo fonte, manarunt. Tenenda sunt etiam naturae iura, vt cognationis, societatis, pietatis, amicitiae, ne quid inter propinquos fiat iniuriae: ne quid fraudis in socios: ne liberi parentibus aduersentur: ne qua lite dissoluantur amicitiae: ne ingratitudinis crimen subeatur, quo vitio, nihil detestabilius, et ab vniuersi generis humani societate magis alienum est: ne cui defendendi facultas eripiatur: ne bonis viris honor non adhibeatur: ne anteferatur mendacium veritati, quae omnia sunt iura naturae, quae et, cogente nemine, nulloque proposito supplicio, quisque putare debet, esse seruanda, edoctus a natura, quae quosdam in nobis excitauit igniculos et fomenta virtutis, non a praeceptoribus tradita; sed ingenita. Accedit ad id ritus gentium, nationum mores, instituta ciuitatum, decreta maiorum, quae nullo modo, contemni, magistratus pati debet. Euertunt enim, contemta, funditus ciuitatem, cuius salus in his maxime rebus est posita. Seruanda etiam sunt, diligenter, quae nulla lege constituta; tamen consensu omnium probata, recepta, frequentata sunt: quae ad consuetudinem referuntur: tum quae ad veritatem, vtilitatem, honestatem pertinent; aut quae ex bono et aequo eliciuntur. Nihil enim est popularius, aequitate, multosque habet honestos adsertores. Tandem curandum est, vt seruentur promissa, pacta constent, non rescindantur, legata reddantur, tributa pendantur, vectigalia persoluantur. Haec si praestiterit magistratus, complexus erit prope omnes iustitiae partes, quae iis in rebus fere tota versatur. Etiam non contemnenda est opinio bonorum, vt qui, magnis rebus gerendis, plus sibi auctoritatis compararuerunt. A sua dignitate deiiciendi non sunt, nam sunt etiam inter priuatos gradus quidam contentionesque honoris, vt alter alteri virtute, gloria, rebus gestis antecellat; quae, si contemnantur, parient seditiones et tumultus. Hoc quoque ad iustitiam pertinet, vt cuiusque opinio, vt dignitas, vt auctoritas adtentatur.

CAPVT VI

LIBERALITATEM vero esse iustitiae partem, quis ignorat? Monet enim CICERO, vt pro dignitate cuique tribuatur, idque adserit esse iustitiae fundamentum. Sed *videndum est primum*, ne obsit *benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris: deinde, ne maior sit benignitas; quam facultates.* [l]) Nam, vt idem ait, [m]) *posse liberalitate vti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus.* Hinc ARISTOTELES [n]) scribit, *pro modo fortunarum ipsam liberalitatem dici. Liberalis enim actio non in multitudine rerum, quae dantur; sed in habitu dantis consistit; hic autem pro facultatibus erogat.* Quare iure ait SENECA, [o]) *turpissimum genus dandi esse inconsultam donationem.* Hinc fit, vt multi dent iis, quibus dare non oportet, et, vt inquit ARISTOTELES [p]) *quos pauperes esse conuenit eos diuites faciunt, et honestis quidem hominibus nihil dant.* Tribuendum est igitur dignis, et cuique, vt meretur, erogandum. Quare recte praecipit ARISTOTELES [q]) liberalitatis quatuor esse cautiones. Monet enim, dandum esse, quantum oportet: quibus oportet: vnde oportet, et quando. Nemo enim plus; quam facultas patiatur, erogare debet; nec indignis et scurris et ceteris vilissimis turpissimisque hominibus. Quisque etiam de suo dare debet. Quare Aristoteles damnat eos, qui accipiunt, vnde non oportet, propter erogandi cupiditatem, quod, deficientibus confestim rebus, facere, necessitas compellit, quorum dationes liberales non iudicantur quum honestae non sunt. Eos quoque improbare solemus, qui ad ostentationem largiuntur, quae fit gloriae caussa. Quare inquit AMBROSIVS: [r]) *nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiae caussa magis; quam misericordiae largiaris, adfectus tuus nomen imponit operi.* Quomodo a nobis proficiscitur, sic aestimatur. Vnde PLINIVS [s]) in epistolis scribit: *meminimus, quanto maiori animo honestatis fructus in conscientia; quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non adpeti debet*, et laudans Aristonem ait: [t]) *Ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert, recteque facti non ex populi sermone mercedem; sed ex*

l) *libr.* I. *de offic. cap.* 14. §. 1.
m) *libr.* II. *de offic. cap.* 18. §. 14.
n) *libr.* IIII. *ethicor. cap.* 2. *tom.* II. *operum*, p. 25.
o) *libr.* IIII. *de benefic. cap.* X.
p) *loco excitato.*
q) ibidem.
r) *libr.* I. *de officiis ministrorum cap.* 30. §. 147. *tom.* II. *operum* p. 39. edit. Benedict.
s) *libr.* I. *epist.* 8.
t) *libr.* I. *epist.* 22.

ex facto petit. Perfecta est igitur liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum, et necessitati singulorum occulte subuenit. *Honeste facti praemium est, fecisse,* inquit SENECA, et Scipio apud SILIVM,[u]) dicit, *ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.* Itaque recte inquit SENECA:[x]) *beneficium est beneuola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo in id, quod facit prona et sponte sua parata. Itaque non quid fiat; aut quid detur, refert; sed qua mente: quia beneficium non in eo, quod fit; aut datur, consistit; sed in ipso dantis, aut facientis animo.* Est igitur diligenter aduertendum in ipsa liberalitate, vt benignitas non superet facultatem: vt demus de nostro, et dignis, et opportunis temporibus, tum, vt ostentatio fugiatur.

CAPVT VII

SED prudentiam et iustitiam magistratui esse pernecessariam, videor mihi, iam satis ostendisse. Nunc idem faciendum videtur de fortitudine atque temperantia. Est autem fortitudo mediocritas circa timorem et audaciam. Fortis non timet, quae timenda non sunt. Quum autem quaedam eiusmodi sint, vt, ea metuere, honestum sit, et turpe, non metuere, veluti infamiam, quam qui timet, verecundus habetur, qui non timet, impudens: non circa omnes timores per defectum peccatur; sed circa eos duntaxat, qui excusari non possunt. Eodem modo non omnia forti adeunda sunt; neque semper et qualibet de caussa obiicere se morti debet. Proprie fortis est, qui ea, quae terribilia videntur et sunt, subit, quia decorum sit, ita facere; et turpe, non facere, quique non ad omnem mortem; sed ad honestam tantum et pro salute patriae, et ad omnia, quae adferunt mortem, interritus est, vt in bello, in quo pulchrum est mori, quod testantur honores, a ciuitatibus et regibus his, qui in bello ceciderunt, constituti. Quum singula, quae agimus, ad finem terminentur: decori gratia fortis subit et agit fortitudinis opera, et sic, quae oportet, et quando, et vt conuenit, et vbi conuenit, sustinet, metuit atque audet. Laudabile est igitur, res magnas adpetere; humiles vero contemnere: in periculis non frangi: dolorem aequo animo ferre, et, gratia honestae laudis adipiscendae, nulla cuiusuis laboris magnitudine deterreri. Haec qui facit, et mirabilem in se amorem excitat multitudinis, et opera eius maxima splendidissimaque habentur. Est autem fortitudo mediocritas circa timores et fiducias. Nam qui timendo exsuperat, et confidendo deficit, timidus dicitur;

u) *libr.* XIII. *bell. Punic.* v. 662. x) *libr.* I. *de benefic. cap.* 6.

tur; qui non timendo exsuperat, dicitur insanus; vel stupidus, si nihil omnino timet, vt motus terrae, aquarum inundationes, et illa omnia, quae timenda sunt, quum superent naturam humanam, vt necesse sit, ipsa timere. Ille, qui confidendo exsuperat, audax est, et imitatur in principio fortem; sed quum ad pericula ventum est, dat terga, et fit timidus. Fortis vero et magnanimus putat, omnia humana esse inferiora, se et sua praestantia, eaque parui facit, et superat omnes dolores, quorum vim, vt volunt Stoici, opinio facit, non natura. Sed fortis animus et magnus, vt monet CICERO y) maxime cernitur, quum a despicientia rerum externarum non discedimus, et magnas res gerimus, et maxime vtiles et vehementer arduas plenasque laborum et periculorum, cum vitae; tum multarum rerum caussa. Oportet fortem, primum res humanas despicere, quod qui faciunt, interriti sunt, ad res magnas et arduas aggrediendas: deinde: nihil, nisi magnum et arduum, gerere. Ii enim vere fortes sunt, qui ad honestam mortem et ea omnia, quae illam adferunt, interriti sunt; nec est fortitudo, nisi circa terribilia et valde periculosa. Quumque cuiuslibet operis, cum ratione suscepti, honestus finis sit, sequitur, fortem decori et honesti gratia agere debere. Agit et vtilitatis communis gratia, si modo ea cum honestate coniuncta fuerit. Qui propriis commodis agendo consulit, fortis nullo modo est. Oportet fortem omnibus animi perturbationibus dominari, nam, qui dolore, ira, timore, libidine ceterisque eiusmodi vincitur, nec liber; nec fortis est; nec decet, qui inuictum se metu praestitit, eum frangi cupiditate.

CAPVT VIII

OPORTET igitur in magistratu esse fortitudinem, quae magnificentiam et despicientiam rerum humanarum adferat, et tranquillitatem animi atque securitatem. Quod si contingat, totum se magistratus reipublicae tradet; nec opes; aut potentiam consectabitur, totamque eam sic tuebitur, vt omnibus consulat. *Nec vero criminibus falsis in odium; aut inuidiam quemquam vocabit, omninoque ita iustitiae honestatique adhaerescet, vt, eam conseruet, quamuis grauiter offendat*, vt CICERO z) scribit, *mortemque oppetat potius, quam ea deserat. Nec vlli audiendi sunt, qui, grauiter irasci inimicis, magni animi et fortis viri esse censent. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius,*

y) *libr.* I. *de offic. cap.* 20. z) *libr.* I. *de offic. cap.* 25. §. 6.

dignitas, placabilitate atque clementia. [a]) *Prohibenda est igitur maxime ira in puniendo; numquam enim iratus, qui accedet ad poenam,* vt ait CICERO [b]) *mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum.* ARISTOTELES in libris ethicorum mediocritatem maxime laudat, et, medium habitum amplectendum esse, docet, et, quo pacto in singulis adfectibus et actibus mediocritas possit inueniri, ostendit, quam HORATIVS [c]) *auream* adpellat. Itaque, qui rei publicae praesunt, legum similes esse, debent, quae, ad puniendum, non iracundia; sed aequitate ducuntur. Vnde, quemadmodum scribit PLATO [d]) in legibus, quos insanabiles legislator esse senserit, vltimo supplicio adficiet, non ignorans, melius fore iis, qui sunt insanabiles, mori; quam viuere. *Sed omnis animaduersio et castigatio,* vt ait CICERO, *ad vtilitatem rei publicae, non ad eius, qui punit aliquem; aut verbis castigat, referri ac omni contumelia vacari debet.* Estque *cauendum, ne maior poena quam culpa, sit, et ne iisdem de caussis alii plectantur, alii ne adpellentur quidem.* Fortitudo igitur, quae omnes animi perturbationes domat, in magistratu maximopere est necessaria, verum non minus est temperantia, in qua ornatus vitae et modestia continetur, quae, si in priuatis requiritur, et pleno ore probatur, eo magis publicas personas illustrat, quas ea constanter vti oportet.

CAPVT VIIII

EST autem temperantia, vt ARISTOTELES docet, mediocritas circa voluptates corporis et dolores; proprie vero circa eas voluptates, quae gustu percipiuntur et tactu, vt in cibo potuque et rebus venereis, circa quas versatur intemperantia, quae est exsuperatio. Vnde Philoxenus, auctore ARISTOTELE, collum gruis optabat, vt maiorem voluptatem in epulis sentiret, quae maxime sensum tactus et gustus moueret. Vnde magis vituperanda est, quum sit nobis communis cum belluis, quae tactu delectantur et gustu; odore autem non per se; sed per accidens. Vnde, quum id, quod est caussa odoris, adsequuntur, non curant illum amplius, vt canes, qui feras odore inuestigant et aues. Sensus tactus et gustus, sunt magis materiales, quam ceteri. Gustus est discretiuus saporum, et tactus est communis et primus omnium sensuum quia omnia animalia habent tactum.

 Circa

a) *loco excitato* §. 9.

b) Ibidem.

c) *libr.* II. *od.* 10. v. 5.

d) *libr.* VIIII. *de legibus, tom.* II. *operum,* p. 862.

Circa voluptates animi non verſantur temperantia; aut intemperantia, et in his, quae viſu percipiuntur, non dicimur temperantes; aut intemperantes; nec his, quae percipiuntur olfactu. Interdum enim capiuntur voluptates ex odore florum; non tamen dicitur intemperantia. Relinquitur ergo temperantia et intemperantia verſari circa quae guſtu tactuque percipiuntur.

CAPVT X

COMPLECTITVR autem temperantia verecundiam, modeſtiam, ordinem, conſtantiam et ornatum. Temperantiam dicebant Stoici matrem omnium officiorum; intemperantiam vero omnium perturbationum. Modeſtia vero, vix dici queat, quantum magiſtratui adferat ornamentum, quae perſuadet, vt nihil adpetamus, quod non ſit adpetendum, vt pecunias: vt opes alienas. Naſcitur enim ex hoc intemperato adpetitu depopulatio, ruinae, excurſiones: naſcitur etiam libido, explendae voluptatis, a lege prohibitae; nec vlla res eſt, quae magis offendat popularium animos; quam iniuria libidinis, vt ſtupra: vt adulteria, et quae ſunt eiusdem generis turpitudines, vt omnis violatio pudicitiae, quae ita cuſtodienda eſt, vt nullum omnino libidinis veſtigium in magiſtratu videatur adparere. Haec enim omnia et ab honeſtate vitae; et ab officii grauitate recedunt. Rerum autem omnium in magiſtratu auaritia turpiſſima eſt; quae et odium parit; et maximas ſolet importare calamitates et detrimenta. Gignit etiam peruerſam opinionem integritatis, vt, quem cupidum pecuniarum intelligant, poſſe eum in cauſſis iudicandis integrum eſſe, non putent. Pertinet quoque ad magiſtratum frugalitas et victus moderatio. Efficit enim, vt et potator in otio viuat; et quamdam prae ſe ferat opinionem honeſtatis; contra ei, qui deditus eſt temulentiae et eluuioni corporis, vires eneruantur. Fluctuat animus, voluptatum cupiditatibus immerſus explendarumque libidinum, quarum origo omnis eſt a ventre, et eſt ciuitati peſtifera. Dignitate enim abiecta et contemta, res publica vnius principis intemperantia, inlicentia, luxuque tota diſſoluitur. Hinc Solon Athenienſis praeclare legem tulit, quae iubebat, temulentum principem morte eſſe mulctandum, quum ſatius ſit, vnum hominem in republica interire; quam in vno homine totam foedari rem publicam. Eſt igitur primum munus magiſtratus, ſe perſonam ciuitatis gerere, intelligere, deberéque eius dignitatem et decus omnibus in rebus et actionibus ſuſtinere: ſeruare leges: iura deſcribere, et, ea fidei ſuae commiſſa eſſe, meminiſſe. Nam, qui magiſtratum init, exuere ſtatim ſe ipſum, debet, et

omne

omne ſuum ſtudium et cupiditatem cum veſte deponere, et publicam perſonam induere vniuerſae ciuitatis, exiſtimareque, publica inſtituta, priuata caritate, eſſe potiora. Oportetque magiſtratus animum in conſulendo eſſe liberum: in iudicando liberiorem, vt ea dicat, quae ſentiat: ea ſentiat, quae, legibus confirmata, ad publicam vtilitatem referantur, ſeque totum ad commodum ciuitatis inſtruat et armet, pro quo, quoties opus ſit, depraelietur, et neminem, niſi quantum fert communis ratio, extollendum, putet, deprimendum neminem. Sedeat publicus arbiter legumque interpres, nullam in partem, niſi quo illum illarum ſanctitas vocat, declinaturus: exiſtimet, ſibi iuſtitiae defendendae gratia, quamuis graues, inimicitias eſſe ſubeundas; nec iniuſtitiam vnicum malum, vt SOCRATES adpellare ſolebat, iuſtitiae, quod maximum eſt bonum, anteponat. Nam qui amore; aut odio; aut ſpe; aut metu iudicat, is, ab ampliſſima dignitate ſua recedens, iuſtitiae officia peruertit, et ciuitati non mediocrem facit iniuriam, communi iure violato, quo quid poteſt eſſe acriori ſupplicio dignum? Magiſtratus enim partes ſunt, omni via honeſtatem defendere, et decus publicum augere, prouidereque, ne quid domus, ne agri, ſiue ſint illi publici; ſiue priuati, denique ne ciuitas omnis aliquo adficiatur incommodo: meminiſſe, ad vtilitatem ciuilis ſocietatis, ad ſalutem omnium ſe eſſe conſtitutum, cuius quanto amplior eſt dignitas, tanto ſunt delicta habenda grauiora, quippe, quum publico fungatur munere, delinquere ſine publica ignominia non poteſt. Itaque a magiſtratu omnis adhibenda diligentia eſt, non ſolum, ne quid res publica capiat detrimenti; ſed etiam multo magis, vt concordia, vt moribus, legibus, inſtitutis creſcat, nullaque pars ſit, cui, debita cum diligentia, non conſulatur. Atque ita ſuprema faſtigia curanda ſunt, vt infima non negligantur: quemadmodum in pulchro et praeſtanti corpore vultus quidem honeſta munditia in primis curanda; ſed ne capilli tamen vnguesque negligentius habendi ſunt, quum parua labe magna ſaepe ornamenta foedentur.

CAPVT XI

ITAQVE oportet eum, qui rei publicae gubernacula moderatur, multiplici cura inuigilare; nec vna ſola virtute eſſe contentum; ſed virtutum omnium praeſtare genere, vt ſit tamquam ſpeculum quoddam honeſtatis clarum atque ſplendidum, quo ſe ceteri componant, ad bene ſancteque viuendum. Itaque laudatur illud Themiſtoclis decretum, quo magiſtratus a ludis arcebantur, ne res publica ludere ipſa viderentur. Etiam in eadem ciuitate conſuetudo vetus diu tenuit, ne nimis

aditus esset in theatrum et scenam, nisi honesta modulantibus, quod ea de caussa faciebant, ne, qui essent in spectaculo, magistratus parum honesti spectatores fierent. Est etiam magistratus munus, imbecillitatem contra potentiam, inopiam contra diuitias tueri atque defendere, vt, quum tota res publica eius sit commissa imperio, atque eius tradita custodiae, quod infirmius sit, id maiori praesidio tueatur, vt in vrbium moenibus fieri solet, vbi, quae minus munita sunt, fortius defenduntur. Curandum est etiam magistratui, vt nihil excolatur, nisi virtus: nihil, nisi quod contra virtutem est, deprimatur. Maximam etiam laudem in magistratu sibi vendicat clementia, quae propria est praestantis et mansueti viri, et magis naturae nostrae imbecillitatem; quam legum seueritatem; aut sceleris atrocitatem cogitantis. Nam acerbius punire nocentes, torquere, excruciare, crudelissimi solent; iniurias autem moderate persequi, magni animi opus est, et supplicia ad suam mansuetudinem, non ad sceleris atrocitatem, referentis. Nescio tamen, an omnino obliuisci iniurias oporteat. Id enim in magistratu non probant; in priuatis tamen hominibus nihil magnificentius ducunt et salutarius. Cicero tamen ambigit, an post illatas iniurias satis sit poenitentia, vt, qui intulit, alias non audeat, et ceteri sint ad iniuriam tardiores. In principe vero, si sibi iniuriae factae sint, nihil est speciosius; quam ignoscere, si in ceteros, nihil perniciosius; quam negligere. Scelera enim negligenda non sunt, quae si praetereantur impune, nihil est, quod non ausura temeritas sit. Sed nec acerbius; quam ferat ratio humanitatis et magnitudo delicti, puniendum. Athenienses, quorum praecepta de vita praeclara sunt habita, vnde leges nostrae, tamquam de fonte, defluxerunt, vel in grauissimo scelere cicutam adferebant, eo supplicio contenti; quod, etsi est leue, tamen eumdem exitum habet, quem culeus. Cui est Phalaridis taurus incognitus; aut subscriptio Neronis? quorum alter eum, qui tam immane supplicium excogitasset, illo ipso in tauro necari iussit: alter, quoties esset ciuis mulctandus morte, dicere solebat, quam velle se ignorare litteras, ne alienae calamitati manum adponeret. Inuitus igitur ad damnationem hominis magistratus accedere debet, vt, quantum voluptatis capiat scelere comprimendo; tantum capiat doloris, quod in scelus inciderint, qui sunt puniendi. Denique nihil est, quod nos aeque diis pares faciat; quam clementia de qua ita CLAVDIANVS [e])

- - - - *nam quum vincamur in omni*
Munere, sola deos aequat clementia nobis.

CAPVT

e) *de* IIII. *conf. Honor.* v. 276.

CAPVT XII

SED summa officiorum magistratuum haec est: in primis proponat sibi deum, omni pietate colendum, quo iacto fundamento, quidquid superaedificauerit, nulla procella, nulla vis vnquam labefactabit. Iustitiam omnibus in rebus constanter seruet: bonos veros non despiciat, publicisque consultationibus admittat: omnia prudenter, iuste, fortiter atque temperate et modeste agat: crudelitati, libidini, omnibus flagitiis bellum indicat: publicae vtilitati inseruiat: legibus et aequitate semper, numquam pretio, gratia, libidine iudicet: ob rem iudicandam pecuniam non accipiat: omnem auaritiae suspicionem vitet: caueat, ne quam in rem; aut quem in hominem aut immanior; aut propensior fuisse videatur. Denique, quidquid honestati repugnet, fugiat. Haec si praestiterit, summorum hominum, qui rei publicae praefuerunt, sequutus vestigia, ciuibus tranquillitatem et salutem pariter, et sibi gloriam non solum ingentem; verum etiam immortalem comparabit.

LIBER II
DE
MAGISTRATIBVS ROMANORVM

CAPVT I
DE SENATORIBVS

OFFICIA magistratuum iam, vti nobis videmur, satis plene exsequuti sumus, et vtinam, qui publicas personas gerunt, si non omnia, quae scripta sunt, saltem partem constanter custodirent, et pro tranquillitate et salute populorum, qui commissi sunt, diligenter exercerent! Restat, vt magistratuum veterum genera subnectamus. Sed prius operae pretium visum est, pauca cognitu dignissima de senatoribus, a certissimis excerpta auctoribus, praescribere: Senatores centum primus Romulus creauit, qui *patres* ab honore et eorum progenies *patricii* dicti sunt. Sunt, qui senatorum adpellationem a senectute emanasse dicunt, patresque teste PLVTARCHO a) vocatos esse, quod liberorum patres essent; aut quod, qui non haberent, eos possent tamquam suos patres demonstrare; vel quod ipsi reliquae multitudini patroni, id est, defensores esse deberent. Quidam patres a Patroo b) Arcade, qui studiosus tus esse, fertur, non *Patroum*; sed πάτρωνα, *Patronem*, adpellat.

a) *vit. Romul. tom.* I. *operum*, p. 24.

b) PLVTARCHVS *loc. excit.* adiuenam hunc, qui Euandrum sequu-

ctiosus fuit plebis inopiae subueniendi, adpellatos tradunt; alii ab auctoritate; alii a nobilitate; nonnulli a mansuetudine; siue ab aetate; DIONYSIVS *Halicarnassensis* c) autem scribit, non posse satis adfirmari: an senatores propter senectutem, an propter virtutem hoc cognomen habuerint, quod et seniores, et optimos solebant prisci *senes* adpellare. Erant autem patres procul abominidis et arrogantia plebis, defensores et patroni instituti, iidemque principes ciuitatis dicti. Centum autem dumtaxat patres primo delegit Romulus, *siue quia is numerus satis erat; siue quia soli centum erant, qui creari patres possent.* d) Verum post ictum foedus cum Tatio, duplicata ciuitate, centum alii ex Sabinis senatores additi sunt. e) Consilium vero Romulo de creandis senatoribus fuit, vt illis vrbana negotia permitteret, quum ipse exercitum extra fines duceret. Constituit autem Romulus senatum hac ratione: tribuum vnicuique edixit, erant autem tribus tres Romuli tempore, vt trinos viros deligeret, qui prudentissima aetate et generis nobilitate excellerent; post hos autem nouem viros. Etiam curiis singulis imperauit, trinos ex patribus deligere, posteaque nouem primis, a tribubus electis, addens nonaginta, quos curiae triginta suffragiis praetulerant, eoque, quem ipse elegerat, duce addito, centum consiliorum numerum expleuit. f) *Consilium autem hoc*, vt DIONYSIVS g) tradit, *Si Graece interpretari velis significat γερουσίαν, id est senatum; atque ita a Romanis adpellatum est.* Senatoribus autem Romulus honorem potestatemque talem adtribuit, vt de omni re, quae spectaret ad regnum, cognoscerent, atque suffragium ferrent, et, quod visum maiori parti esset, id vinceret; quod ex Laconibus Romulus transtulit, neque enim domini erant Lacedaemoniorum reges, agendi, quidquid vellent; sed publicae administrationis omnis potestas penes senatum erat. h) Postea vero senatui, a Romulo constituto, Tarquinius Priscus centum item senatores addidit, i) qui perfectae in bello virtutis, et in pace prudentiae erant. Ita trecentorum senatorum numerus exstitit; verum, quos Tarquinius Priscus legit, *minorum gentium* adpellati sunt. Pulsis autem regibus, quum esset imminutus senatus; Brutus consul, k) primoribus equestris gradus in patres lectis, trecentorum summam expleuit. l) Omnes autem, prae-

ter

c) *antiquit. Rom. libr.* II. p. 86. Adde FLORVM *libr.* I. *cap.* I. §. 15. LIVIVM *libr.* I. *cap.* 8.

d) vid. LIVIVM *libr.* I. *cap.* 8.

e) conf. DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *libr.* II. p. 3.

f) ita DIONYSIVS *loc. excit.* p. 86.

g) *loco excitato.*

h) vid. eumdem, p. 87.

i) apud LIVIVM *libr.* I. *cap.* 35.

k) vt alii volunt, P. Valerius Poplicola.

l) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem* *libr.* V. p. 287.

ter eos, qui a Romulo et Tarquinio lecti sunt, *patres conscripti* dicti sunt; [m]) lectos vero senatores a Romulo *maiorum gentium*; quos autem Brutus legit, *minorum gentium* fuisse adpellatos, scribit TACITVS [n]) Adsciti in patres et aduenae, vt ex Regillo Claudii, ex Tusculo Porcii, ex Alba Iulii, e Camerio Coruncanii; itemque ab Etruria et Lucania post auctum imperium, quoniam nunquam peregrinae virtuti romana dignitas clausa fuit. Lecti in patres Balbi ex Gadibus Hispaniae, Cornelii ex Gallia; denique ex omnibus gentibus viri singulares in nomen romanum coaluerunt. [o]) Diuus Augustus plerosque in patres legit, et post eum Diuus Claudius atque alii Augusti elegerunt, et prius dictator Caesar lege Cassia senatores legit. [p]) TACITVS [q]) scribit, Aeduos ex Gallia primos in vrbe senatorum ius adeptos, datumque id foederi antiquo, qui soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo romano vsurpant. Tandem Diuus Constantinus, quoniam patres erant exhausti, pace et bello claros, tantummodo vndique coadunatos, legit in patres. Ex senatoribus pedarii dicebantur, qui nondum maioribus honoribus functi, non curru, sed pedibus ibant in curiam; qui vero curulem magistratum gessissent, supra sellam in curru considebant, quum in senatum vehebantur: vnde sella *curulis* dicta; licet aliqui a curuitate pedum illam adpellari velint. Senatores, qui in postremis scripti erant, non rogabantur sententias; sed quas principes dixerant, in eas descendebant.

 Inde

m) Cuius adpellationis originem nonnulli ad Iunium Brutum transferunt, quod is, senatu pulsis regibus imminuto, praecipuos ex equestri ordine inter *patres conscripserat*, hacque cooptatione senatum suppleuerat.

n) *libr.* XI. *annal. cap.* 25. Si TACITI verba cum LIVIO *libr.* I. *cap.* 35. comparamus, adparet, iam a Tarquinio Prisco lectos nouos centum senatores *minorum gentium*, vt illos a Romulo constitutos, *maiorum gentium* esse adpellatos, nisi quod dicere velimus, nouis senatoribus a Bruto adlectis, illos, quos Tarquinius Priscus addidit, itidem tractu temporis *maiorum gentium* dictos, adpellationemque *minorum gentium* iis tantummodo, quibus Brutus senatum suppleuit, eo aeuo relictam fuisse.

o) vid. TACITVM *libr.* XI. *annal. cap.* 24.

p) Id quod sub imperatoribus per *triumuiros senatui legendo* factum, vt ex SVETONIO *vit. Aug. cap.* XXXVII. patet. Legebatur senatus primis temporibus a regibus, hisque expulsis, a consulibus; vt ex DIONYSIO *Halicarnassensi libr.* II. p. 85. et LIVIO *libr.* I. *cap.* 8. patet. Anno vrbis conditae CCCX. munus hoc, senatores legendi censoribus commissum est, vt satis constat. *Triumuiri* itaque *legendo senatui* succensores quasi erant, vt obseruat TORRENTIVS *not. ad excitat.* SVETONII *locum*.

q) *libr. excit. cap.* XXV.

Inde dictum est: *caput sine lingua pedaria sententia est.* Quum vero senatores vniuersi sententiam pedibus ferebant, *discessio* dicebatur. Sed, his paucis de senatoribus congestis, quod ab re alienum visum non est, iam magistratuum genera exsequi, tempus admonet, sumeturque initium a consulatu, quod is magistratus dignitate caeteros praestabat; non autem quod vetustate praeferri debeat r)

CAPVT II

DE CONSVLIBVS

CONSVLES auctore POMPONIO, iuris consulto, dicti sunt, quod plurimum rei publicae consulerent; s) consulere autem prouidere est; PLVTARCHVS t) tamen a Conso, secretorum deo u) adpellatos, scribit. VARRO x) consules dici voluit, quod consulerent populum et senatum. ACCIVS y) tamen ait: *qui recte consulat, consul fiat.* QVINCTILIANVS, z) consules a consulendo, vel iudicando dictos tradit. Nam et hoc *consulere* veteres vocauerunt: vnde adhuc remanet illud: *rogat, boni consulas,* id est, bonum iudices. Ideo autem bini consules annuusque eorum magistratus constitutus est, ne, si vnus; quum in eo summa esset potestas, in

r) Quae hic sequuntur, a nostro auctore ad codicis marginem scripta erant. *Quid sit magistratus, operae pretium, ostendere, videtur. Magistratus dignitas dicitur; verum magistratus aut personam ipsam demonstrat, vt, quum dicimus: magistratus iussit; aut honorem, vt, si dicamus: Caesari datus est magistratus.* VLPIANVS *digestis secundo, inquit, magistratus est vel is, qui in potestate aliqua sit, vt puta proconsul; vel praetor; vel qui prouincias regunt. Omnino ii dicuntur esse in magistratu, qui per imperia potentiores fiunt, quam priuati. Magistrare enim regere et moderari significat. Sunt, qui scribunt, magistratum per deriuationem a magistro adpellari: magister autem, vt vult* PAVLLVS *de verbor. significatione, is dicitur, cui praecipue cura rerum incumbit, et qui magis, quam ceteri diligentiam et sollicitudinem rebus, quibus praeest, debet.* TACITVS *libr.* XII. *annal. cap.* 64. *inter magistratus tantum recenset quaesturam, aedilitatem, tribunatum, praeturam, consulatum.*

s) *leg.* II. §. 16. *π. de orig. iur.* Adde FLORVM *libr.* I. *cap.* 9. §. 3. et ISIDORVM *orig. libr.* VIIII. *cap.* 3. p. 1045 *auctor. lat. linguae,* ed. GOTHOFREDI.

t) *vit. Romul. tom.* I. *oper.* p. 25.

u) vid. GISB. CVPERVM *Harpocrat.* p. 27. et MARC. ZVERIVM BOXHORNIVM *quaest. Rom.* XXXX. *tom.* V. *thes. ant. Rom.* GRAEVII, p. 967.

x) *de lingu. lat. libr.* IIII. *cap.* 14. p. 15. *auctor. lat. ling.* ed. GOTHOFREDI.

y) apud VARRONEM *loc. excit.*

z) *libr.* I. *institut. orator. cap.* 6.

in superbiam dominationemque se converteret; neue diuturniori imperio insolescerent, id est, ne mora; aut solitudine talis magistratus corrumperetur; [a]) dicerentur vero consules Graece, vt vult DIONYSIVS, *συμβουλοι* siue *προβουλοι*, quod *συμβουλην* Graeci, Romani *consilium* vocent. *Υπατοι* etiam alioquin nominati sunt a Graecis, ob magnitudinem potestatis, quod et omnibus imperarent, et supremam dignitatem haberent. [b]) Consulibus enim reliqui omnes magistratus parebant, excepto tribuno plebis. Tribunitia enim dignitate consulare ius imminutum est, cessitque grauitas optimatum, et inualuit multitudinis. Primi consules fuerunt L. Tarquinius Collatinus et L. Iun. Brutus; quorum annus quinque consules habuit. In locum enim Tarquinii Collatini, quem, exhonoratum, Brutus collega eiecit, P. Valerius suffectus est. [c]) Deinde, quum Brutus in bello mutuis cum hoste vulneribus cecidisset, in eius locum Sp. Lucretium subrogauerunt, [d]) qui morbo, antequam idem annus terminaretur, absumtus est, in cuius locum Marcum Horatium Puluillum suffecerunt. [e]) Viginti quinque consules in vnum annum fuisse traduntur, Commodo imperante. Consul maior natu diu primum locum vendicauit, qui honor a P. Valerio in Lucretium, Lucretiae patrem, in Bruti locum suffectum, primum obseruatus est. Nam Valerius ei quod grandior annis esset, primo loco cedens, fasces tradidit; postea vero diu talis honoris obseruatio permansit. *Sed, postquam soboles necessaria ciuitati visa est, ad prolem populi frequentandam praemiis atque inuitamentis vsus fuit, tum antelati quibusdam in rebus, qui vxores quique filios haberent, senioribus, neque vxores; neque liberos habentibus. Sic capite septimo legis Iuliae priori, ex consulibus fasces sumendi, potestas fiebat non, qui plures annos natus esset; sed, qui plures liberos; quam collega in potestate, haberet; aut bello amisisset. Sed si par vtrique numerus liberorum esset, maritus; aut qui in maritorum numero fuisset, praeferebatur. Si vero ambo et mariti; et patres totidem liberorum essent, tum ille pristinus honor instaurabatur.* [f]) Consulum alterum duodecim secures praecedebant; alterum vero duodecim ministri, virgarum tantum habentes fasces; factis tamen vicibus, singulis mensibus securibus potiebantur. [g]) Iulius autem Caesar antiquum referens

 morem,

a) vid. FLORVM *libr.* I. *cap.* 9. §. 2.
b) conf. CICERO *orat. pro Sext. cap.* XXX.
c) vid. LIVIVM *libr.* II. *cap.* 2. et DIONYSIVM *Halicarnassensem libr.* V. p. 287. sq.
d) leg. LIVIVM *libr.* II. *cap.* 8.
e) ibid.
f) verba haec sunt GELLII *libr.* II. *noct. Atticar. cap.* 15.
g) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem libr.* V. p. 278.

morem, instituit, vt, quo mense fasces consul non haberet, accensus ante eum iret, lictor pone sequeretur. [h]) Factum est autem, ne vterque consul eodem tempore secures haberet, ne viderentur pro vno rege duo facti, quod metum ciuibus auxisset. [i]) P. autem Valerius, Bruti collega constituit, vt, quum extra vrbem essent consules, securibus vterentur; in vrbe vero tantum fascibus virgarum ornarentur. [k]) Caeterum idem L. Valerius Publicola consulum secures a baculis seiunxit, submissisque populo fascibus, in concionem processit, [l]) idque a consulibus postea obseruatum, ad PLVTARCHI [m]) memoriam peruenit. Verum virgarum fasces, cum securibus adligati, praeferebantur, vt ostenderetur, non oportere magistratus iracundiam promtam esse ac dissolutam, nam virgarum dissolutio mora et tarditate iram frangebat et impetum moderabatur. Sed quoniam malitia partim medicabilis est; partim curari non potest, virgae, quod mutari poterat, corrigebant; secures vero, quod emendari non poterat, abscindebant. A consulibus ad populum prouocationem reis esse, Publicola constituit. [n]) Sed caeteri quoque magistratus, in quorum manu imperium erat, vt praetorum, censorum, qui *maiores magistratus* dicebantur, quique comitiis centuriatis fiebant, vt minores curiatis, vocationem habebant. Consules reficiendi quos et quoties vellet, populo ius erat, quoad bellum in Italia esset. Postquam Flaminius, ter consul, ad Transimenum cecidit, consul alter ex plebe primus factus L. Sextius [o]) Furio Camillo quintum dictatore, qui in agro Albano Gallos iterum fudit fugauitque; DIONYSIVS tamen tradit, ex plebis beneuolis [p]) primum C. Iulium, secundo deinde anno Sp. Furium [q]) ex plebeiis consulem factum, cum Caesone Fabio iterum. Consules designati gratias de more populo agebant; [r]) Paullus vero Aemilius consulatu, quo bellum aduersus Perseum gessit, populo gratias non

h) vid. SVETONIVM *vit. caesar.* *cap.* XX.

i) id testatur DIONYSIVS *Halicarnassensis loc. excit.* p. 278.

k) conf. LIVIVM *libr.* XXIIII. *cap.* 9. *libr.* X. *cap.* 59.

l) vid. eumdem *libr.* II. *cap.* 7.

m) *vit. Poplicolae tom.* I. *operum*, p. 102.

n) conf. LIVIVS *libr.* II. *cap.* 8. DIONYSIVS *Halicarnassens. libr.* V. p. 292. *edit. sylburg.* VALERIVS MAXIMVS *libr.* IIII. *cap.* 1.

o) [illegible]e LIVIO *libr.* VI. *cap.* 42. Factum id anno V. C. CCCLXXXVII.

p) DIONYSIVS *Halicarnassensis libr.* VIII. p. 557. non dicit C. Iulium plebeium fuisse; sed φιλοδημοτικόν, qui ex patriciis plebi prae ceteris fauebat, eiusque gratiam sibi conciliare studebat.

q) *libr.* VIIII. p. 559. vbi vero Sp. Furius non ex plebe; sed a plebe consul factus dicitur.

r) vid. OVIDIVM *ex Pont. libr.* IIII. *eleg.* 4. v. 35.

non egit, quod caussa populi esset creatus. s) Consulatum praeter legem adhuc adolescentes adepti sunt, Coruinus, Scipio vterque, Pompeius magnus, Dolabella, Caesar, Augustus. t) Quum ante tricesimum annum consulatum gerere non liceret, u) consulatu, non expleto anno, quum adhuc duo menses ad tempus annuum restarent, Marcus Fabius se abdicauit, posteaquam a victis Etruscis rediit, vasto vulnere laborans, lectuloque relatus. Consul primus externorum atque etiam in oceano genitorum Balbus Cornelius factus est, et quidem maior consul, quem honorem maiores Latio quoque negauerunt. Consul vno die tantum fuit Caninius Retitus, C. Caesare dictatore: quare vrbane dictum est a CICERONE: x) *vigilantem habuimus consulem Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit.* Hunc MACROBIVS y) Caninium *Reuilum* z) non Retitum adpellat. C. item Seruilius vno tantum die consul fuit: quare Votacilius Pytholaus dixit: *ante Flamines: nunc consules diales fiunt.* Vitellii quoque tempore Rossius Regulus vno die tantum consulatum finiuit. Consulum alter senatum conuocare non poterat. Quum aliqua res ad senatum referebatur, consules, qui praesidebant, primum designatos consules super ea re sententiam rogabant. a) Ordo autem rogandi sententias in senatu varius fuit. Alias primus rogabatur is, qui a censoribus *princeps senatus* lectus fuisset; b) alias, qui designati consules erant; aliquando consules, studio, vel necessitudine ducti, extra ordinem, quem volebant, primum rogabant. c)

CAPVT

s) narrat id fuise PLVTARCHVS *vit. L. Paulli Aemilii, tom. I. operum,* p. 269.

t) Inde post hoc aeuum in fastis et legum subscriptionibus passim occurrit: CONSVLE, NOBILISSIMO PVERO. Conf. IAC. GVTHERIVM *de offic. dom. Aug. libr.* I. *cap.* 12. et NORISIVM *cenotaph. Pisan. diss.* II. *cap.* 2.

u) ex CICERONE *Philipp.* V. *cap.* 17. colligitur, fuisse annum tertium et quadragesimum consulatui suscipiendo destinatum. *Quid. Macedo,* inquit, *Alexander, nonne tertio et trigesimo anno mortem obiit, quae est aetas nostris legibus decem annis minor, quam consularis.*

x) *libr.* VII. *ep.* 30. *ad familiar.* §. 3.

y) *libr.* II. *cap.* 2. *Saturn.*

z) seu, vt in aliis editionibus est, *Reuilium, Rebilum.* Eius mentionem quoque faciunt CAESAR *de bell. Gall. libr.* VII. *cap.* 83. *libr.* I. *de bell. ciuil. cap.* 26.

a) vid. GELLIVM *libr.* IIII. *cap.* 10. id quod et praeter CICERONEM *libr.* VIII. *ep.* 4. *ad famil.* ex TACITO de Druso et ex SALLVSTIO de Syllano consulibus liquet.

b) conf. GELLIVM *loc. excit.* et *libr.* XIIII. *cap.* 7.

c) vid. LIVIVM *libr.* V. *cap.* 20. SVETONIVM *vit. Caes. cap.* XXI. et *vit. Aug. cap.* XXXV.

CAPVT III
DE DICTATORE

DICTATOR quia *dictus* esset, adpellatus est, quoniam, quum a populo, aut senatu deligi non posset, alter consulum, aut imperator, progressus ad populum, quem censeret, dictatorem, dicebat. Alii dictatorem adpellari tradiderunt, quod non populi suffragio, aut adsensu; verum, quod is censeret, imperaret: siquidem iussa magistratuum ἐπιτάγματα Graeci, Romani *edicta* vocant. [d]) MARCVS autem VARRO [e]) dictatorem adpellari scribit, quod a consule *dicebatur*, cuius dicto audientes omnes essent. DIONYSIVS [f]) vero vult, dictatorem dici siue propter potestatem iubendi dictandique, quid vellet; siue propter eam, quae tunc fiebat, dictionem: quandoquidem non a populo magistratum inuentum more patrio dictator habiturus erat; sed ab vno viro dictus. Hunc magistratum Romanos a Graecis accepisse, idem DIONYSIVS [g]) scribit, qui, tyrannicas potestates nominibus decentioribus velare soliti, alii, vt Thessali ἀρχὰς, alii, vt Lacedaemonii ἁρμοστὰς dictatores adpellabant. LICINIVS vero, [h]) dictatorem ab Albanis Romanos accepisse, tradit, quod illi primi post Amulii Numitorisque mortem, deficiente regia cognatione, annuos creauere magistratus, potestatem habentes eamdem, quam reges antea, vocaueruntque eos *dictatores*. Dictatoris creandi mentio, vt vult LIVIVS, [i]) primum Romae orta est, quo tempore per ludos a Sabinorum iuuentute per lasciuiam scorta rapta sunt, et, concursu hominum facto, rixa ac prope praelium fuit, paruoque initio ad rebellionem spectare res videbantur. Supra belli latini metum id quoque accesserat, quod triginta iam coniurasse populos, concitante Octauio Manilio, satis constabat. Sed nec quibus factus consulibus; nec quis primus dictator sit creatus, satis constat Liuio; se tamen apud veterrimos auctores, Titum Largium Flauum [k]) primum dictatorem; Sp. Cassium, magistrum equitum creatum inuenisse, adserit, [l]) legemque fuisse, vt consularis dictator legeretur.

d) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem libr.* V. p. 336.

e) *libr.* IIII. *de ling. lat. cap.* 14. p. 15. *auctor. lat. lingu.* GOTHOFREDI.

f) *loc. excitato.*

g) Ibid. p. 337.

h) vt eisdem DIONYSIVS *Halicarnassensis* obseruat.

i) *libr.* II. *cap.* 18.

k) Auctor noster hunc dictatorem vocat *Largium*, DIONYSIVM *Halicarnassensem* sequutus apud quem *libr.* V. p. 325. sq. est Λάρκιος LIVIVS *loc. excitato* habet: *Lartius*.

l) *loc. excitato.*

retur. Eo magis adducitur LIVIVS, vt credat, Largium, qui consularis erat, potius, quam Manium Valerium M. filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuerat, moderatorem et magistrum consulibus adpositum, quia, si maxime ex ea familia dictatorem legi voluissent, patrem multo potius, M. Valerium, spectatae virtutis consularem virum, legissent. m) DIONYSIVS n) quoque Titum Largium primum dictatorem fuisse, adserit. Numquam vero dictator, nisi in periculosissimis rei publicae casibus, o) creari solebat, ac sex mensibus dictatura terminabatur; p) Camillo tamen in annum prorogata est. q) Nec licebat dictatori, vti equo, quaedam enim vetus lex prohibuit, siue quod maiores vires inesse, ac pedes manusque conserere arbitrarentur, et praeter hoc imperatorem, in phalange esse, oporteret; nec locum deserere; siue quoniam ad alia omnia tyrannica magnaque esset principatus illius potentia, vt in hoc adpareret, dictatorem, nolente populo, indigere. r) Fabius tamen maximus, creatus dictator contra Hannibalem, a senatu petiit, vt sibi, dictatori, vti equo liceret, quod concessum est. s) Dictatoris potestate in consulatu primus Opimius functus est. Minutius pari auctoritate cum dictatore Fabio imperium egit, quod Romae antea nulli contigerat. Deinde post Cannensem cladem hoc iterum actum. Nam, quum in castris praeesset dictator Marcus Iunius, t) et in vrbe opus esset, ordinem senatorium repleri, quod multi in

m) M. Valerium tamen primum dictatorem fuisse, FESTVS scribit, *de verbor. signif.* p. 348. *auctor. lat. lingu.* GOTHOFREDI. Adde STEPH. VINAND. PIGHIVM *annal.* ad ann. V. C. CCLIII.

n) *libr.* V. p. 336. vbi tamen primi dictatoris creatio non, vti apud LIVIVM ad ann. V. C. CCLIII. sed ad annum CCLVI. refertur.

o) Exempla vide apud LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 26. *libr.* VII. *cap.* 9. Postea et ob alias caussas dictator dictus fuit, nimirum comitiorum habendorum, caussa, apud LIVIVM *libr.* VIII. *cap.* 23. *libr.* VIIII. *cap.* 7. item: vt senatus legeretur, teste eodem *libr.* XXIII. *cap.* 22. vt quaestio institueretur, *libr.* VIIII. *cap.* 26. ludi instaurarentur, *libr.* VIII. *cap.* 40. et propter clauum figendum *libr.* VII. *cap.* 3. *libr.* VIII. *cap.* 18.

p) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem loc. excit.* et CICERONEM *de legib. libr.* III. *cap.* 3.

q) apud LIVIVM *libr.* VI. *cap.* 1. Prorogata quoque dictatura *Papirio Cursori*, in summa reipublicae necessitate. Conf. PIGHIVM *annal.* ad ann. V. C. CCCCXXVIIII.

r) Caussas, quare dictatori equum adscendere haud licitum fuerit, indicat PLVTARCHVS *vit. Fab. Maximi*, p. 175.

s) vid. PLVTARCHVM *loc. excit.* et quae de M. Iunio Perra tradit LIVIVS *libr.* XXIII. *cap.* 14. Ex hoc discimus, dictatorem ad populum ferre debuisse, vt equo vti ipsi liceret.

t) vid. LIVIVM *libr.* XXII. *cap.* 57. et 59. *libr.* XXIII. *cap.* 32.

in bello senatores ceciderant: alterum dictatorem creauerunt Fabium Buteonem. ^u) Hic posteaquam ad bellum exiuit, numerum hominum recensuit, ac senatores in demortuorum locum suffecit, eodemque die lictores dimittens, sese inter turbam admiscuit et ad negotia peragenda cum suis dispensatoribus, vt priuatus in forum sese contulit. LIVIVS ^x) vult, hunc Fabium Buteonem sine magistro equitum dictatorem dictum, ad legendum senatum, a C. Terentio, qui ad id ex Apulia, relicto ibi praesidio, accitus est. Lectis autem centum septuaginta septem senatoribus, cum ingenti adprobatione omnium extemplo se magistratu abdicasse. Hortensius, quo tempore plebs in Ianiculum secessit, dictator factus, plebe reuocata, in eodem magistratu exspirauit, ^y) quod nulli dictatori antea contigerat. Dictator ex plebe primus fuit C. Marcius Rutilius, ^z) et eius magister equitum ex plebe primus Plautinus. A dictatore nulla erat prouocatio, ^a) neque vllum vsquam, nisi in cura parenti, auxilium; nec poterat dictator extra agrum romanum dici. ^b) Ager autem romanus Italia terminabatur. Silentio vero noctis ^c) dictator dicebatur. Dictatorem Quintum Fabium Maximum populus creauit, ^d) quod ad eam diem numquam factum fuerat. EVTROPIVS, ^e) dictatorem creatum, adserit nono anno post exactos reges, quum gener Tarquinii, ad iniuriam soceri vindicandam, ingentem collegisset exercitum.

CAPVT IIII

DE MAGISTRO EQVITVM

MAGISTER equitum primus fuit Sp. Cassius, ^f) Largio primo dictatore. Dictator enim sine magistro equitum non creabatur, ^g) apud quem eo officio magister equitum fungebatur, quo Tribuni celerum

u) apud LIVIVM *libr.* XXIII. *cap.* 22.

x) *loc. excitato.*

y) vid. LIVIVM *epit.* XI.

z) conf. LIVIVM, *libr.* VII. *cap.* 17. Factum id anno V. C. CCCLXXXXVII.

a) leg. eumdem, *libr.* II. *cap.* 29. Id tamen postea abrogatum est, *libr.* III. *cap.* 54.

b) testatur id idem scriptor *libr.* VIII. *cap.* 23. *libr.* XXVII. *cap.* 5.

c) *ibid. libr.* VIIII. *cap.* 38.

d) Creabatur Q. Fabius Maximus Verrucosus *prodictator* a populo anno V. C. DXXXVI. Vid. LIVIVM *libr.* XXII. *cap.* 8. Aliquando etiam populus significabat, quem dictatorem a consule dici vellet, id quod A. Fuluii Flacci exemplo constat. Conf. LIVIVM *libr.* XXV. *cap.* 5.

e) *libr.* I. *cap.* 11. §. 1.

f) ann. V. C. CCLIII. vt est apud LIVIVM, *libr.* II. *cap.* 18.

g) vid. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 26.

rum apud reges, et demum praefectus praetorio apud imperatores. Magistri equitum potestati ita omnes subiiciebantur, milites, h) vt populus dictatori. Primus magister equitum ex plebe C. Plautius fuit. i) Sine magistro equitum Fabius Buteo dictator factus est. k) Dictus est magister equitum, vt vult VARRO, l) quod summa potestas eius in equites et accensos erat.

CAPVT V

DE PRAETORE

PRAETOR adpellatus est, quod praeiret in iure et exercitu. Praetor autem nunc Romae creari coeptus, quum consules, belli caussa, extra vrbem euocarentur; nec esset, qui in ciuitate ius dicere posset. m) Hic primo *vrbanus* adpellatus est, eo, quod in vrbe ius redderet. Post aliquot vero annos, non sufficiente vno praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in vrbem conueniret, creatus est alter praetor, n) qui *peregrinus* adpellatus est, quod plerumque inter peregrinos ius diceret. Capta deinde Sardinia, et mox Sicilia, et Hispania, ac Narbonensi prouincia, totidem praetores, quot prouinciae in ditionem venerant, creati sunt, partim, qui vrbanis rebus; partim, qui prouincialibus praeessent. o) Deinde Sulla quatuor praetores adiecit, p) qui de quaestionibus publicis, a se constitutis, veluti de falso: de parricidio: de sicariis, iudicarent. Deinde C. Caesar item duos addidit. Ita duodecim

E 2 prae-

h) conf. LIVIVM *libr.* III. *cap.* 27. et VARRONEM *de lingua lat. libr.* IIII. *cap.* 14.

i) apud LIVIVM *libr.* VII. *cap.* 17.

k) Id. *libr.* XXIII. *cap.* 23.

l) *loc. excit.*

m) ad hanc praetoris creandi caussam accedebat alia, quam LIVIVS *libr.* VII. *cap.* I. significat, nimirum, vt patriciis solatium esset propter concessum plebi alterum consulatum.

n) Anno V. C. DX. vid. LIVIVM *epit.* XVIIII. et l. 2. *π.* §. 28. *de orig. iur.*

o) *leg.* II. *π.* §. 32. *de orig. iur.* et LIVIVM *epit.* XX. Praetores hi quoad prouincias Sardiniam et Siciliam ao. V. C. DXXVI. quoad Hispanias ao. DLVI. creati sunt. De lege Bebia, ao. V. C. DLXI. lata, qua constitutum fuit, vt alternis annis quatuor duntaxat praetores crearentur, duo in vrbe, reliqui duo propter prouincias, videndus est LIVIVS *libr.* XXXX. *cap.* 44. Ann. DCVI. quaestiones perpetuae, quum instituerentur, sancitum est, vt quatuor hi praetores in vrbe manerent ac ius dicerent, finitoque magistratus sui anno in prouincias proficiscerentur.

p) alii duos tantum praetores a Sulla additos esse, dicunt; nec desunt, qui iam Sullae temporibus decem praetores exstitisse volunt. l. II. *π.* §. 32. *de orig. iur.*

praetores creati sunt. q) Diuus deinde Augustus XVI. praetores constituit, quibus Diuus Claudius duos adiecit, qui de fidei commissionibus ius dicerent, r) e quibus vnum Titus, imperator, detraxit; Diuus vero Nerua vnum adiecit, qui inter fiscum et priuatos ius diceret. s) Ita decem et octo praetores in ciuitate ius dicebant, qui quotiens proficiscebantur, relinquebatur vnus, qui ius diceret, in vrbe, qui *praefectus vrbis* vocabatur. Habebat praetor lictores et fasces more consulari; in hoc autem differebat, quod praetorem sex lictores cum fascibus praeibant; consulem vero duodecim. t) Iisdemque auspiciis, quibus consules, praetor creabatur: vnde, si quis minor dignitate praetorem vidisset, equo desiliebat, honoris caussa, caputque adaperiebat, et semita cedebat. Praetorem etiam veteres omnem magistratum adpellauere, cui pareret exercitus: vnde *praetorium tabernaculum* eius, et *porta praetoria*, et *praefectus praetorio*. Obtinebat praetor secundum locum post consules, quorum etiam *collega* dicebatur. Praetores ex edictis suis perpetuis, lege Cornelia, ius dicere coeperunt; eorum vero comitia arbitrio senatus haberi solita sunt. Quoniam acriori ambitu exarserant, Nero composuit, tres, qui supra numerum petebant, legioni praeficiendo. Praetor primus ex plebe Philo u) factus est, C. Sulpitio et P. Aelio consulibus.

CAPVT VI
DE TRIBVNIS PLEBIS

TRIBVNI plebis creari coepti sunt sexto decimo anno post exactos reges, vt scribit EVTROPIVS. x) POMPONIVS tamen, Iure consultus, ait, fuisse anno fere decimo septimo post reconciliatam plebem patribus, quae propter graues nexus, duce Sicinio, in montem sacrum trans Anienem, tribus ab vrbe millibus passuum distantem, a patribus secessit, licet Piso secessionem factam velit in Auentinum. y) Est autem reconciliata plebs patribus per Menenium Agrippam. Hic

et

q) paullo post etiam quatuordecim ac deinde sexdecim. Conf. LIPSIVM *de magistrat. pop. Rom. cap.* X.

r) l. II. §. 32. *de orig. iur.*

s) Ibid. Lapso deinde imperio, imminutus quoque sensim fuit praetorum numerus, adeo, vt Valentiniani et Marciani temporibus tres duntaxat essent. l. II. *cod. de offic. praet.*

t) vid. VALERIVS MAXIMVS *libr.* I. *cap.* I.

u) Q. Publilius Philo, ao. V. C. CCCCXVII. vid. LIVIVM *libr.* VIII. *cap.* 15.

x) *libr.* I. *cap.* 12.

y) vid. LIVIVM *libr.* II. *cap.* 32. CICERONEM *pro Cornel. cap.* I.

et facundia praestabat; et plebi quod inde oriundus erat, carus intromissus in castra prisco illo dicendi horrido modo nihil aliud; quam hoc narrasse fertur: z) *tempore, quo in homine, non, vt nunc, omnia in vnum consentiebant; sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quaeri; ventrem, in medio quietum, nihil aliud; quam datis voluptatibus frui. Conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent; nec opus acciperent datum; a) nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vna membra totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde adparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse; nec magis ali, quam alere eum reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus vigemusque, diuisum pariter in venas maturum, confecto cibo, sanguinem.* Hinc comparando, quod intestina corporis seditio similis esset irae plebis in patres, flectit mentes hominum. Agi deinde de concordia coeptum concessumque in conditiones, vt plebis sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio aduersus consules esset; neu cui patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni plebis creati duo, C. Licinius et L. Albinus. Hi tres collegas sibi creauerunt. In his Sicinium fuisse, tradunt, seditionis auctorem: de duobus, qui fuerint, minus conuenit. b) PLVTARCHVS c) quoque duos primo factos tribunos tradit, Iunium Brutum et Sicinium Bellutum, quos secessionis duces plebs habuerat, cum quo CICERO, d) TVDITANVS e) et POMPONIVS ATTICVS f) conueniunt. Factum hoc autem Au. Verginio Tricosto et T. Veturio Ceturino consulibus, anno decimo septimo post exactos reges. Tribuni vero tribunitiis comitiis creari coepti sunt, Appio Claudio et Quinctio consulibus. g) Rogatio lata est a Volerone, tribuno plebis. Numero etiam tunc additi tres, perinde ac duo antea fuerint, vt PISO est auctor, h) qui tribunos quoque nominat, S. Sicinium, L. Numitorium, Marcum Duicilium, Sp. L. Mecilium; trigesimo vero Sexto anno a primis tribunis decem tribuni

 creati

z) LIVIVS ibid.

a) Ita in manuscripto. In LIVII editionibus legitur: *nec os acciperet datum*, et recte quidem.

b) haec omnia ex LIVIO *loc. excit.* ad verbum fere hausit noster auctor.

c) *vit. C. Marc. Coriolani, tom. I. operum*, p. 216.

d) *fragm. orat. pro Cornel. tom.* III. *orat. eius, part.* 2. p. 968. ed. GRAEVII.

e) apud ASCONIVM *Pedian. not. ad memorat. Ciceronis orat.* p. 968, ed. GRAEVII.

f) Ibid.

g) vid. LIVIVM *libr.* II. *cap.* 56.

h) Ibid. *cap.* 58.

creati sunt, [i]) bini ex singulis classibus, consulibus Q. Minutio et Caio Horatio Puluillo; a quibus cooptatum vndecimum Minutium, postquam a patribus ad plebem transiisset, atque seditionem, motam ex Maeliana caede, sedasset, nonnulli sunt auctores; LIVIO [k]) tamen non videtur credibile, quod, tribunorum numerum augeri, patres fuissent passi; idque potissimum exemplum a patritio homine introduci: praeterea quod paucis ante annis lege cautum erat, ne tribunis collegam cooptare liceret; fuisse vero vno eodemque tempore decem tribunos, aperit CICERO. [l]) Testem et leges in *epitome* LIVII. DIONYSIVS [m]) quinque fuisse primos tribunos aperit creatos, quum primum plebs patribus reconciliata est, diuisa plebe in *phratrias*, quas Romani *curias* dicunt. Nomina quoque tribunorum a DIONYSIO ponuntur L. Iunius Brutus, C. Sicinius Bellutus, C. et P. Licinii, C. Iusilius Riuganus. Creati sunt autem in annum quarto ante idus decembres, vt factum est deinde vsque ad aetatem DIONYSII. [n]) Bruto autem suadente tribunitiam potestatem sacrosanctam plebs legem sanxit, quae a Bruto et collegis ita scripta est: [o]) *tribunum inuitum, tamquam vnum e multis, nemo vllum cogito agere; neque verberato; neque alteri, vt verberet, imperato; neque occidito, neque occidi iubeto. Si quis autem prohibitorum horum aliquid fecerit, impius exsecrabilisque esto, bonaque eius publicato ad sacra Cereris, et qui aliquem haec agentium occiderit, caedis expiatus esto.* Ac ne fiat potestas deinceps populo, hanc legem abrogandi, sed in omne tempus reliquum immobilis permaneat, statutum est, Romanos omnes iurare per sacra [p]) hac lege ipsos et eorum posteros vsuros esse perpetuo: precesque adiecerunt iuramento, stabilientibus legem ipsam deos esse propitios caelestes geniosque et manes; transgredientibus vero omnia aduersa fieri tamquam maximae pollutioni obnoxiis. [q]) Ex hisque constitutus Romanis mos est, sacrosancta esse tribunorum corpora. [r]) Sicinius vero, tribunus plebis,

i) vid. LIVIVM *libr*. III. *cap*. 30.

k) *libr*. IIII. *cap*. 16.

l) *orat. contra Vatinium cap*. VII. *tom*. III. *part*. I. eius *orationum*, p. 244. edit. GRAEVII.

m) *libr*. VI. p. 410. vid. FRID. SYLBVRGII *notas ad hunc locum*, p. 46.

n) quod ibidem DIONYSIVS confirmat.

o) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem loc. excit*. Huc pertinent, quae BARNAB. BRISSONIVS *de formul. libr*. II. p. 155. ex LIVIO adnotauit.

p) apud DIONYSIVM καθ' ἱερῶν *per sacra*, haud definite, vt iis et ea, quae ad tribunos plebis spectabant, comprehenderentur.

q) quae omnia DIONYSIVS *Halicarnassensis, loco excitato* narrat.

r) vid. LIVIVM *libr*. II. *cap*. 33. et DIONYSIVM *ibid*. et p. 435. 731.

plebis, legem hanc tulit: s) *concionanti apud populum tribuno nemo aliquid in contrarium dicito; nec dicentem interpellato. Si quis autem praeter haec fecerit, dato petitus vades, tribunis persoluendi poenam, quamcunque ei imponant, et qui vadem non dederit, morte puniatur, bonaque eius sacra sunto.* Contentionum autem de ipsis poenis iudicia penes populum erant. Tribunorum potestas nulla erat extra vrbem; sed intra moenia tantum vrbis circumscripta. t) Itaque, si quid consules sanxissent longius ab vrbe mille passibus, prouocationem non habebant, atque si eo venissent tribuni in alia turba Quiritium, subiecti erant consulari imperio. Nec quidem vna nocte abesse ab vrbe tribunis licebat, u) nisi quum sacrificium Ioui perficiebant comites omnes magistratus vrbis, pro Latinorum gente in Albanum montem adscendentes, quae consuetudo ad DIONYSII aetatem permanebat; licebat tamen exire post noctem mediam et ante mediam reuerti, SERVIVS *in fine libri quinti Aeneid.* Praeter vetera tamen instituta tribuni plebis duo cum praetore et decem legatis in Siciliam, ad cognoscendum de criminibus, Scipioni obiectis, missi sunt. x) Poterant autem Romae tribuni adpellari contra omnem potestatem, y) qui neque aduocabant patricios; neque ad eos referre de vlla re poterant. Nec leges propriae; sed plebiscita tribunorum adpellabantur. z) Q. tamen Hortensius dictator legem tulit, vt patricii tribunorum rogationibus tenerentur. Voluit enim, vt eo iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur. a) Caeterum tribunis plebis ante plebiscitum Atinium, habendi senatus, ius erat, etiamsi non essent senatores, vt tradit GELLIVS. b) Tribunitia comitia, vt scribit DIONYSIVS, c) ex suffragii latione per curias quam *lationem curiatam* Romani vocabant, ad *tribulem* P. Volero traducere conatus est, id quod obtinere non potuit. Post tamen ex Voleronis sententia lata est lex, ab eoque tempore ad tribunorum aediliumque comi-

s) apud DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *libr.* VII. p. 431.

t) vid. GELLIVM *libr.* III. *cap.* 2. et DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *libr.* VIII. p. 554.

u) vid. GELLIVM *libr.* XIII. *cap.* 12. APPIANVM *Alexandr. libr.* II. *de bell. ciuil.* p. 447. et DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *loc. excit.*

x) vt LIVIVS refert, *libr.* XXVIIII. *cap.* 20.

y) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *libr.* XI. p. 687.

z) vid. FESTVM, *voc. scita plebis*, p. 428. *auctor. lat. lingu.* GOTHOFREDI.

a) conf. LIVIVM *epit.* XI. GELLIVM *libr.* XV. *cap.* 27.

b) *libr.* XIIII. *cap.* 8. adde GRONOVIVM *not. ad hunc loc.* et IVST. LIPSIVM *libr.* II. *elector. cap.* 13.

c) *libr.* VIIII. p. 598. adde LIVIVM *libr.* II. *cap.* 56.

comitia fine auspiciis, sineque omni religione d) tulerunt tribules concionem suffragia. Harum vero lationum haec erat differentia, e) centuriatas enim suffragiorum lationes oportebat firmatas esse praecedentibus senatus consultis, multitudineque per curias ferente suffragia, et post vtraque haec signis a numine et auguriis nihil aduersantibus; tribules autem lationes oportebat neque senatus consulto prius facto; neque sacris, neque auspicibus sancientibus perfectas vna die tantum habere finem. Tribuni concionis domini tantum erant; senatum autem conuocare; aut sententiam dicere, eis post illud Atinii plebiscitum ius non erat. Primus Icillius tribunus plebis senatum conuocauit, quum locum in Auentino obtinuit ad aedium constructionem plebi dari. f) Tribunorum ministros et collegas et iudices duos viros plebeios quotannis creari a senatu plebi concessum est, qui subministrarent tribunis omnia, quorum indigerent, iudicarentque eas caussas, quas tribuni eis permitterent, ac sacrorum publicorumque locorum et adfluentiae forensis curam haberent, qui ab officio eorum vno sacrorum locorum curatores vocati sunt. Compescere quidquam actum a tribunis, aut prohibere, nulli licebat, g) praeterquam alteri tribuno, eratque tribunorum summum ius in prohibendo. Quare si vnus, quod caeteri tribuni adprobassent, prohibuisset, ratum non erat. h) Tribunitia potestas a decemuiris plebi sublata est vna cum prouocatione, quam post abdicatos decemuiros tribuni in Auentino redemerunt; i) vbi, pontifice comitia habente, creati sunt tribuni plebis primus omnium Aulus Virginius, inde Lucius Icilius et P. Numitorius, auunculus Virginiae, auctores secessionis, qui tribunos duos patritios et consulares praeter legem cooptauerunt, Sp. Tarpeium et A. Aterium, k) Valerio et Horatio consulibus. Iterum a Sulla, l) tribunitiam potestatem ademtam Pompeius m) populo reddidit. Tribunitia auctoritas demum eo vsque progressa est, vt nullum senatus consultum ratum esset, nisi tribuni illud adprobassent, n) ac T. litteram in tergo

d) conf. LIVIVS *libr.* IIII. *cap.* 6. VI. *cap.* 41.

e) ita differentiam hanc monstrat DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *libr.* VIIII. p. 593.

f) narrat id DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *libr.* X. p. 657.

g) vid. DIONYSIVM *Halicarnass.* *libr.* VII. p. 431.

h) conf. IAN. GVILIELMVM *de magistrat. pop. Rom. cap.* XIIII.

i) conf. LIVIVM *libr.* III. *cap.* 54. et adde DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *libr.* XI. p. 726.

k) vid. LIVIVM *libr.* III. *cap.* 65.

l) leg. LIVII *epitom. libr.* LXXXVIIII.

m) vid. *eumdem*, epit. LXXXXVII.

n) et SALLVSTIVM *de bell. ciuil. cap.* XXXI. VELLEIVM *libr.* II. *cap.* 30. CAESAREM *libr.* I. *de bell. ciuil. cap.* 7.

tergo adposuissent, [o]) stabantque tribuni in vestibulo curiae, vbi senatus habebatur. Ingredi enim templum, non licebat; quidquid vero senatores decreuissent, tribunorum animaduersioni subiiciebatur, vt, si ex re publica esset, adprobarent; si secus, reiicerent. [p]) Tribuni, si PEDI[illegible] [q]) credimus, dicti sunt, quia primo tres fuerunt; vel, vt alii vo[illegible]uod tunc in tres partes populus diuisus erat, e quarum singulis [illegible]guli creabantur, vt scribit POMPONIVS, iure consultus; siue a tribuum suffragio, quae, auctore DIONYSIO [r]) tunc quatuor fuere. VARRO [s]) innuere videtur, tribunos plebeios dictos a tribunis militaribus, ita enim ait: *tribuni plebeii, qui ex tribunis militum primum tribuni plebeii facti, qui plebem defenderent in secessione Crustumerina.*

CAPVT VII

DE TRIBVNIS MILITARIBVS.

TRIBVNI MILITARES dicti sunt, quod terni tribus tribubus, Tatiensium, Ramnensium et Lucerum, olim ad exercitum mittebantur. Tatiensium vero tribus a T. Tatio, duce Sabinorum, adpellata est. [t]) Ramnensium a Romulo est dicta, [u]) Lucerum, nominis et originis caussam incertam esse scribit LIVIVS, [x]) quamuis FESTVS [y]) Luceres adserat adpellatos a Lucero, Ardeae rege, qui Romulo, aduersus Tatium bellanti, auxilio fuit. VARRO [z]) autem a Lucumonibus Luceres dictos, vult, quod quidam id vocabulum Thuscum existimauerint. Ferunt enim, Romulum, vt scribit SERVIVS, [a]) dimicantem contra Tatium, a Lucumonibus auxilia postulasse, vnde quidam venit cum exercitu, cui post receptum T. Tatium pars vrbis data est, a quo in vrbe Thuscus vicus nomen accepit. Thuscia enim, vt idem scribit, duodecim Lucumones habuit, id est reges. PLVTARCHVS [b]) vero a luco asyli

o) teste VALERIO *Maximo*, *libr.* II. *cap.* 2. §. 7.

p) vid. LIVIVM *libr.* VI. *cap.* 35.

q) *ad Ciceronis orat. in Verrem* I, 13.

r) *libr.* II. p. 82. coll. *libr.* IIII. p. 219.

s) p. 15. *auctor. lat. lingu.* GOTHOFREDI.

t) vid. VARRONEM p. 11. *auctorum lat. lingu. Gothofredi*, et LIVIVM *libr.* X. *cap.* 6.

u) conf. VARRONEM *loc. excit.* PLVTARCHVM *vit. Romul. cap.* 15. et LIVIVM *libr.* I. *cap.* 13.

x) *libr.* I. *cap.* 13.

y) voc. *Lucerenses*, p. 322. ed. GOTHOFREDI.

z) *loc. excitat.*

a) Idem ex antiquioribus confirmat DIONYSIVS *Halicarnass. libr.* II. p. 104. sq.

b) *vit. Romul. tom.* I. *oper.* p. 30.

asyli *Luceres* dictos putat, in quem multi fuga delati ciuitate donati sunt. Has tribus tres fuisse, nomen ipsum declarat, a quibus tribuni dicti sunt. Vnaquaeque autem tribus decem continuit curias, vt scribit PLVTARCHVS, f) vnde origo fuit turmae, dictae, quod ter deni equites e tribus tribubus darentur, vt tradunt FESTVS d) et VARRO. [illegible] Tribunorum autem militarium duo genera fuerunt, vt PEDIAN[illegible] adserit, primum eorum, qui *Rufuli*, siue *Rutili*, quia Rutilius Rufus legem primo tulit de iure tribunorum, ab exercitu creandorum, dicebantur. g) Et hi in exercitu creari solebant. Alii erant *comitiati*, qui Romae comitiorum caussa designabantur. h) Erant tribuni militum totius exercitus defensores. Ne vis aliqua, vel seditio inter milites oriretur, ad horum curam pertinebat, vigilum stationem lustrare, in castris milites continere, et ad exercitationem producere, querelas commilitonum audire, rei frumentariae praeesse, et valetudinarios curare. i) Tribuni militares consulari potestate creari coeperunt M. Genucio, P. Curiatio k) consulibus. Omnes tamen a populo creati sunt patritii. Anno vero CCCX. quum vrbs condita est, primum tribuni militum pro consulibus magistratum iniuerunt A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Caecilius. l) *Sunt, qui propter adiectum equorum Volscorum bello et Ardeatium defectioni Veiens bellum, quia duo consules obire tot simul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicant sine mentione promulgatae legis de consulibus creandis ex plebe et imperio et insignibus consularibus vsos; non tamen firma iam stetit magistratus eius vis, quia tertio mense, postquam iniuerunt augurum decreto, perinde, ac vitio creati, honore abierunt; quod C. Curiatius, qui comitiis eorum praefuerat, parum recte tabernaculum cepisset.* m) Octo vero tribuni militares consulari potestate creati sunt, quot numquam antea, n) quo anno gestum

c) *loc. excitato.*

d) voc. *turma equitum*, p. 218. edit. GOTHOFREDI.

e) *de lingu. lat. libr.* IIII. *cap.* 16. p. 16.

f) *ad Ciceron. orat. Verrin. libr.* I. *cap.* 10.

g) adde FESTVM p. 162. *auct. lat. lingu.* GOTHOFREDI.

h) teste ASCONIO PEDIANO *loc. excit.*

i) de eiusmodi tribunorum officiis vide LIVIVM *libr.* XXVIII. *cap.* 24. *libr.* XXXX. *cap.* 41. POLYBIVM *de milit. Rom. cap.* V. et VI. et l. XII. §. 2. *digest. de re milit.*

k) errat auctor in designando altero consule. Nam vt ex fastis consularibus et LIVIO *libr.* IIII. *cap.* I. patet, anno V. C. CCCX. M. Genutius et C. Curtius consules fuere.

l) conf. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 7. et DIONYSIVM *Halicarnass. libr.* VI. *cap.* 12.

m) verba sunt LIVII, *libr.* IIII. *cap.* 7.

n) ita LIVIVS *libr.* V. *cap.* I.

ſtum eſt bellum contra Veientes, quum illi, mutata magiſtratus forma, regem creauerunt, quo tempore Romani milites hibernacula primum fecerunt, et bello Veientano primum ſub pellibus durare didicerunt. [o]) Primanus tribunus erat, qui primae legioni tributum ſcribebat. EVTROPIVS [p]) adſerit, tribunos militares conſulari poteſtate creari coeptos anno ab vrbe condita CCCLXV. dignitatemque tribunorum militarium non diu perſeueraſſe, quod poſt aliquantum nullos placuit fieri, ac quatriennium ita in vrbe fluxiſſe, vt poteſtates ibi maiores non eſſent; praeſumſerunt tamen tribuni militares conſulari poteſtate iterum dignitatem, et triennio perſeuerarunt, rurſus conſules facti. [q]) POMPONIVS, iure conſultus, de tribunis militaribus conſulari poteſtate: Sic deinde, quum poſt aliquot annos XII. tabulae latae ſint, et plebs contenderet cum patribus, et vellet ex ſuo quoque corpore conſules creare, et patres recuſarent, factum eſt, vt tribuni militum crearentur partim ex plebe; partim ex patribus conſulari poteſtate. Hi quoque conſtituti ſunt vario numero, interdum LXXVII. fuerunt; interdum plures; nonnumquam pauciores. VEGETIVS [r]) maiorem tribunum militum, tradit, per epiſtolam ſacram imperatoris iudicio deſtinari, minorem tribunum prouenire ex labore, et quum vnaquaeque legio decem cohortes haberet, primae, quae *milliaria* vocabatur, praeerat tribunus armorum ſcientia, virtute corporis, morum honeſtate praecipuus. Reliquae cohortes, prout principi placuiſſet, a tribunis vel a praepoſitis regebantur. Aelianus cohorti quingentariae, quam hominum quingenti duodecim componunt, tribunum minorem, et milliariae, quam hominum mille viginti quatuor, tribunum maiorem praefecit. Sunt, qui ſcribant, tribunum dictum a tribubus, [s]) eo quod praeſit militibus, quos ex tribubus primus Romulus legit; vel a tribuendo iure.

CAPVT VIII
DE QVAESTORE

QVAESTORES, a quaerendo dicti, vt vult VARRO, [t]) quod conquirerent publicas pecunias et maleficia, quae triumuiri capitales deinde conquirebant. POMPONIVS, [u]) iure conſultus, vult quaeſtores

o) vid. eumdem *libr. excitato*, *cap.* II.
p) *libr.* II. *cap.* I. §. I.
q) ſunt verba EVTROPII *loco excit.*
r) *libr.* II. *cap.* 7.
s) vid. DIONYSIVM *Halicarnaſſenſem libr.* II. *cap.* 2.
t) *de lingua lat. libr.* IIII. *cap.* 14.
u) *de orig. iuris libr.* II. §. 22.

res dictos eo, quod, inquirendae et conseruandae pecuniae caussa, creati essent. Ab his postea, qui quaestionum iudicia exercerent, quaestores dicti. Erat autem quaestura prima senatorum administratio, qui in prouinciis curam gerebant pecuniae publicae, in vsus diuersos erogandae. Quaestores vero, regibus etiam nunc imperantibus, constituti sunt, vt TACITVS, x) testatur, quod lex curiata ostendit, a Lucio Bruto repetita. VLPIANVS ex testimonio *Iunii Gratiani libro* VII. *de potestatibus* Romulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse, tradit, quos ipsi non sua voce; sed populi suffragio creauerunt. Verum sicuti ambiguum est, an, Romulo et Numa regibus, quaestor fuerit; ita, a Tullo Hostilio rege quaestores fuisse, certum est. Volunt enim certissimi auctores, Tullum Hostilium primum in re publica induxisse quaestores. Hunc magistratum deligendi, potestas consulibus mansit, donec eumdem honorem populus mandaret, creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus LXIII. anno post Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Deinde gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romae curarent. Mox duplicatur numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus prouinciarum vectigalibus. Post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia ille tradiderat. y) PLVTARCHVS z) primos quaestores a Romanis a) creatos, adnuente Poplicola, adserit, P. Veturium et M. Minutium constitutionemque quaestorum in pecuniis colligendis accersitam esse, ne praetor, si vir acer et strenuus esset, his occupationibus a cura rerum maiorum abduceretur; nec, si improbus, rebus omnibus pecuniisque permissis, occasionem sibi, ad inferendam iniuriam, oblatam esse, existimaret. Quaestores praeterea curam tabularum publicarum habebant, quam Nero ad praefectos transtulit. Solebant quoque quaestores prouincias sortiri ex senatus consulto, quod factum est Decimo Druso et Procinna consulibus. Sane non omnes prouincias sortiebantur; sed excepti erant candidati principis. Hi etenim solis libris principalibus, in senatu legendis, vacabant, et *quaestores candidati* principis vocabantur, qui epistolas eius in senatu legebant. b) Quaestores indifferenter creari coepti sunt, tam patritii, quam plebeii, consulibus Cn. Cornelio Cosso et L. Furio Medulino ita, vt in quatuor creandis

x) *libr.* XI. *annal. cap.* 22. Adde *leg. vn. pr. digest. de off. quaest.*

y) verba TACITI sunt *loc. excitato.*

z) *vit. Poplicolae* p. 103.

a) siue a populo. Adde DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *libr.* V. *cap.* 34.

b) vid. TACITVM *libr.* XVI. *annal. cap.* 27. et SVETONIVM *vit. Neron. cap.* XV. et *vit. Claud. cap.* XXXX.

creandis vni patritio Caesoni Fabio Ambusto relinqueretur locus, tres plebeii, Quinctius filius, P. Aelius et P. Pupius clarissimarum familiarum iuuenibus praeferrentur. [c]) Quaestores neque lictorem; neque viatorem; nec vocationem; nec prehensionem habebant. [d]) Parricidii quaestores adpellabantur, qui solebant creari, caussa rerum capitalium quaerendarum. Nam vt FESTO [e]) placet, parricida non vtique is, qui parentem occidisset, dicebatur; sed qualemcunque hominem. Erat et quaestor frumenti, qui in summa caritate, vt vrbs annona abundaret, curare debebat, et esse negotiatoribus comis, mercatoribus iustus; municipalibus liberalis, sacris abstinens. Et consules in bello quaestores habebant ad curam praedae et spoliorum; [f]) vrbani vero quaestores, damnatorum bona accipientes, in publicum referebant, [g]) publica funera de publico locabant, [h]) aerarii pecunias acceptas et expensas in tabulas referebant. [i]) Quaestores enim aliquando *tribuni et praefecti aerarii* adpellati sunt, [k]) et a recentioribus, vocabulo non incongruo, *referendarii.*

CAPVT VIIII
DE AEDILIBVS

AEDILIS dictus est, quod aedes sacras et priuatas curaret. Aedibus enim publicis priuatisque, cloacis, aquarum ductibus et aliis publicis quibuscunque aedificiis ac templis, rebus emundis vendundisque ac mensuris praeerat. [l]) Aedilitium vero munus id erat cuiuscunque aedilis proprium, vt suis impensis ludos pro facultate ac dignitate curaret, vt in *officiis* CICERO [m]) meminit. Erant autem aedilium duo genera et duo ordi-

 nes,

c) vid. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 54.

d) vid. GELLIVM *libr.* XIII. *noct. Attic. cap.* 12.

e) voc. *quaestores parricidii.*

f) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem libr.* VII. p. 468. *libr.* VIII. p. 549. *libr.* X. p. 648.

g) teste eodem scriptore, *libr.* XI. p. 726.

h) apud eumdem, *libr.* VI. p. 416.

i) vid. VARRONEM de *lat. lingu. libr.* IIII. *cap.* 36. GELLIVM *libr.* VII. *cap.* 10. et ex recentioribus SIGONIVM *de ant. iur. ciu. Rom. libr.* II. *cap.* 8.

k) Alii tribunus aerarii a quaestoribus distinguunt. Quaestores aerarii eosdem fuisse, qui et aliquando *praefecti aerarii* dicerentur, ex TACITO *libr.* XIII. *annal. cap.* 28. colligitur. Adde SVETONIVM *vit. Claud. cap.* XXIIII. et TORRENTIVM *ad hunc locum.*

l) vid. VARRONEM *de lingu. lat. libr.* IIII. *cap.* 14. MARTIALEM *libr.* V. *epigr.* 83. PLAVTVM *rudent. act.* II. *scen.* 3. v. 43. IVVENALEM *sat.* X. v. 101.

m) *libr.* II. *de offic. cap.* 16 adde LIVIVM *libr.* XXIIII. *cap.* 43. *libr.* XXVII. *cap.* 6. *libr.* XXVIII. *cap.* 10.

nes, vnus, in quo ipsi aediles in iure dicundo sellis, curuos pedes habentibus, vtebantur. [n]) Et hinc nomen magistratus retinebat, dicebatur enim *aedilis curulis*, licet alii a sella, qua in curru vehebantur, *aediles currules* dictos velint. Alterum aedilem popularem magistratum adpellabant. Primi autem aediles, dictatore populum rogante, Cn. Quinctius Capitolinus et P. Cornelius Scipio ex patribus creati sunt. [o]) Conuenit autem primo, vt alternis annis ex plebe fierent; [p]) postea magistratus promiscuus fuit; addidit deinde duos aediles C. Caesar, [q]) qui annonae praeessent, et *cereales* nuncupati sunt.

CAPVT X
DE PROCONSVLE

PROCONSVLES, qui ideo dicti sunt, quod pro consulibus mitterentur, eorumque vice in prouinciis fungerentur, cum consulari potestate extra ordinem in prouincias, belli gerendi caussa, mittebantur, et eamdem prope modum potestatem habebant, quam consules, nisi quod sex tantum lictores secum ducebant, [r]) illos duodecim praecedebant. Si qua vero caussa proconsul occupatus ad prouinciam, sibi traditam, accedere; aut ibi adesse, nequisset, legatum subrogabat, [s]) qui prope modum parem proconsuli potestatem gerebat; res tamen grauiores administrare, nequibat, quae proconsuli, procurandae, deferebantur. Proconsularis vero dignitas fuit primum eo tempore instituta, quo Posthumius Albus et Sp. Furius Fusus consulatum gerebant, [t]) quorum alter, aduersus equos bellum gerens, obsessus est; alter in vrbe remanserat, qui vt collegae auxilium ferret, T. Quinctium proconsulem creauit.

n) vid. IVST. LIPSIVM *de magistrat. Rom. cap.* XII.

o) conf. LIVIVM *libr.* VII. *cap.* I.

p) vt habet DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *libr.* VI. p. 411.

q) an. v. C. IↃCCX. vid. DIONEM CASSIVM *libr.* XXXXIII. ad fin.

r) propraetorem sequebantur sex lictores; proconsulem autem duodecim, vid. SIGONIVM *de ant. iur. ciuium Rom. libr.* II. *cap.* I.

s) vid. eumdem *loc. excit. cap.* 2.

t) an. v. C. CCLXXXX. vid. LIVIVM *libr* III. *cap.* 4. Alii ann. CCLXXV definiunt, ad Liuium *libr.* II. *cap.* 48. prouocantes quo prima proconsulatus essent vestigia. Sunt quoque, qui ex Q. Publilio Philone primum proconsulem faciunt, quod ei vltra annuum tempus imperium summum militare fuerit prorogatum, teste LIVIO *libr.* VIII. *cap.* 26. Tolli facile potest dissensus, prout *proconsulis* accipitur vocabulum, vtrum de iis, qui belli gerendi caussa vice consulis fungerentur, an de iis, qui in prouincias, vt eas administrarent, mitterentur, quorum originem multi a lege C. Sempronii Gracchi, anno DCXXXI. lata, repetunt.

uit. Ante hunc de proconsulatu mentionem nullam fieri, inuenio. Haec deinde dignitas ita diffusa est, et obseruari coepta, vt, qui consules fuissent, exacto eorum officio, sequenti anno proconsules remanerent, et ad diuersas prouincias, belli gerendi caussa, mitterentur. Habebat autem proconsul, quum primum vrbem egressus esset, vbique consularia insignia; potestatem vero non exercebat, nisi in ea prouincia sola, quae ei decreta erat. Caeterum iurisdictionem statim, quam vrbem egressus erat, habebat; verum non in inuitum; sed voluntarium. u) Poterant enim apud eum manumitti tam serui; quam liberi, et adoptiones fieri. x) Ingressus prouinciam mandare iurisdictionem legato suo debebat; prius vero non poterat. Si vero necessariam in itinere pateretur moram, mandare iurisdictionem legato, in prouinciam maturissime peruenturo, poterat. Antequam de prouincia recederet, munera, praeterquam si quando obsonia oblata fuissent, proconsules accipere non debebant, in illisque seruandus erat modus. Nam, vt omnia renuere inhumanum erat; sic passim vilissimi et auarissimi proconsulis erat, accipere. Nec quidquam proconsulem emere decebat; nec fas erat, praeterquam ad victum quotidianum necessaria.

CAPVT XI
DE LEGATIS

Legatorvm duo erant genera, vnum eorum, qui a senatu populoque Romano imperatoribus exercituum dabantur non adiumentum solum; y) sed vt imperatoriam maiestatem in exercitu, imperatoris absentia, retinerent. His custodiae atque rerum gestarum cognitionem imperatores committere solebant. Propria tamen iurisdictione vti non poterant; sed dumtaxat, quae ab imperatoribus mandata fuissent, exsequebantur. z) Si vero accidisset, quod imperatores in prouincia morerentur; mandata tamen sibi negotia legati exigere debebant. Appianvs tradit, legatos adpellatos, qui gentibus praeerant et a senatu ad subsidia mittebantur. Alterum legatorum genus erat, quos etiam oratores adpellamus

u) ob prouocationem nimirum, cuius exemplum luculentum habemus in Paullo, act. XXV. 10. 11. Adde picinellvm *luminib. reflex.* p. 682.

x) de potestate et imperio proconsulis praeter alios sigonivs videatur *loc. de ant. iur. prouinciarum, libr.* II. *cap.* 1.

y) vid. livivm *libr.* XXIIII. *cap.* 18. ciceronem *in Vatinium, cap.* XV. et varronem *de lingu. lat. libr.* IIII. *cap.* 16.

z) vid. caesarem *de bell. ciuil. libr.* III. *cap.* 51.

pellamus ab orando, id est agendo, quod rei publicae mandata peragerent. Legatos, quod legarentur, adpellatos esse, scribit VARRO. a) Erant autem legati omnium sanctissimi et honoratissimi apud Romanos, potestatemque et vim imperantis habebant, et inuiolabiles b) venerandique erant, vt sacerdotes.

CAPVT XII

DE CENSORIBVS

CENSOR dictus est, quod ad eius censionem, id est, arbitrium censeretur populus, vt ait VARRO. Bini censores creari coeperunt, Marco Geganio Macerino iterum, Tito Quinctio Capitolino quintum consulibus. c) Primi vero censores fuerunt Papirius et Sempronius. Ortum autem initium rei est, quod in populo, per multos annos incenso, neque differri census poterat; neque consulibus, quum multa bella imminerent, opera erat, id negotium agere. Mentio illata a senatu est, rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere, cui scribarum ministerium custodiaeque et tabularum cura, cui arbitrium et formulae censendi subiicerentur. Patres quamuis rem paruam, tamen, quo plures patritii magistratus in re publica essent, laeti acceperunt. Verum censura a parua origine orta, deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinaeque Romanae penes eam regimen esset, et senatus equitumque centuriis decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus ac publicorum ius, priuatorumque locorum vectigalia, insuper populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Sed quum censura in quinquennium produceretur, a Mamerco dictatore in annum et semestrem est contracta. d) Nec in locum demortui censoris poterat censor suffici, quae res religioni fuit, postquam eo lustro, quo Marcus Cornelius in Gaii Iulii censoris mortui suffectus est, Roma capta est. e) Praeerant autem censores censui et moribus regendis castigandisque f) lustrisque condendis, a quibus quinto quoque anno tota ciuitas cum suppliciis publicis lustrabatur, praecedebatque censoris scriba et seculare carmen decantabat, vt dii rem publicam in annos redderent meliorem. g)

Quot-

a) *de ling. lat. libr. cap.*

b) vid. CICERONEM *orat. Verrin.* I. *cap.* 33.

c) vid. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 8. quem auctor noster in describendis censoribus ad verbum fere sequitur.

d) Conf. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 24.

e) vid. eumdem *libr.* V. *cap.* 31.

f) lege CICERONEM *de legibus libr.* III. *cap.* 3.

g) apud LIVIVM *libr.* X. *cap.* 9.

Quotque Romani ciues in illo lustro fuissent, censebantur, quod primo Seruius Tullius instituit, quum omnem exercitum perfecto censu sue, boue, tauris tribus lustrauit, quo quidem lustro MLXXX. ciuium censa dicuntur, qui arma ferre possent. h) Censorem alterum ex plebe creari, legem tulit P. Philo dictator, quum eo ventum esset, vt vtrumque plebeium fieri liceret. Censor vero ex plebe primus fuit I. C. Marcius Rutilius. i) Oportebat autem censores in Saturni templo ius iurandum subire. Censores, magistratum ineuntes, nihil prius agebant, quam vt anserum alimenta locarent k) et imaginis splendorem, an quod a vilioribus incipiebant, quae nec multo sumtu; nec magna opera egent; an vt veterem quamdam huic animanti gratiam referrent, a bello vsque Gallico meritam, quod dormientibus canibus, primi omnium anseres Gallorum in capitolium adscensum persenserunt et clangore vigiles excitarunt; an, quum essent maximarum rerum, et quae summa cura indigent, custodes censores, vt aedium sacrarum ac publicarum, morum denique et vitii et vitae vnius cuiusque, diligentissimi, omnium animantium rationem habendam sibi esse, putauerunt. Simul enim, anseribus curandis, ciues admonebant, ne deorum cultum negligerent. Anseris vero abstersi splendor necessarius erat. Cito enim rubrica defluit ac deflorescit, ea enim veteres statuas obducere et illinire consueuerunt. Erat censoribus facultas, notandi vnumquemque ordinem, vt, qui senator esset, senatu eiiceretur, l) qui eques Romanus, equum publicum perderet, m) qui plebeius, in Quiritum tabulas referretur et aerarius fieret. n) De praefectis insuper eminentissimis iudicabant, excepto praefecto vrbis Romae. Vt TREBELLIVS POLLIO adfirmat, non iudicabant etiam censores de consulibus ordinariis; neque de rege sacrorum; aut de maxima virginum Vestalium, si minus incorrupta permansisset. Erat autem censura magistratus amplissimus et quodammodo perfectissimum rei publicae culmen et maxime omnium reuerentiae plurimaeque potestatis, quum in aliis rebus, tum ad morum emendationem.

CAPVT

h) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem libr.* IIII. p. 221. et LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 42. collato *cap.* 44.

i) an V. C. CCCCII.

k) vid. CICERONEM *pro sexto Rosc. Amerin. cap.* XX. et PLINIVM *hist. natural. libr.* X. *cap.* 22.

l) vid. LIVIVM *libr.* XXXIIII. *cap.* 44.

m) conf. OVIDIVM *libr.* II. *trist.* v. 89.

n) apud GELLIVM *libr.* IIII. *noct. Attic. cap.* 20. Adde HORATIVM *libr.* I. *epist.* 6. v. 62.

CAPVT XIII
DE TRIBVNIS CELERVM

TRIBVNI celerum CCC. milites ad continuum regis reique publicae praesidium sub se habebant, [o]) quos primus omnium Romulus ex quaque curia, quas ipse triginta constituerat, decem adsciuit, et his tres viros praefecit, eosque, quoniam a tribubus elegerat, tribunos voluit adpellari. Celeres vero a celeritate plerique dictos volunt. Sunt, qui a Celere, qui Remum occiderat, atque iis ordinibus a Romulo praefectus fuerat, adpellatos, putent.

CAPVT XIIII
DE DECEMVIRIS

DECEMVIRI, mutata ciuitatis forma, a consulibus, vt prius consules a regibus rei publicae habenas susceperunt. Post reditum legatorum cum Atticis legibus anno CCC. et altero a condita vrbe, decemuiri fuerunt App. Claudius, T. Genutius, P. Sestius, L. Veturius, [p]) C. Iulius, Au. Manlius, Ser. Sulpitius, P. Curatius, [q]) T. Romilius, Sp. Posthumus, P. Curiatio et Sex. Quinctilio consulibus. Creati sunt autem decemuiri sine prouocatione, et decimo die ius populo singuli reddebant. Eo die penes praefectum iuris XII. fasces erant. Collegis nouem singuli accensi adparebant. [r]) Sunt autem creati decemuiri, sublatis tribunis et omnibus aliis magistratibus, ad condendas leges, qui, postquam leges conscripserunt decem tabulis, eas proposuerunt volentibus inspicere senatumque conuocarunt. Quumque nemo amplius leges reprehenderet, praeconsultum de eis sanxerunt, deinde populum conuocantes ad centuriatam concionem, pontificibus et auguribus aliisque sacerdotibus praesentibus, leges et a populo sunt confirmatae; et in aes incisae in foro positae, deinde quum reliquum imperii sui breue tempus esset, decemuiri senatum conuocauerunt, et, vt de comitiis consideraret, proposuerunt; dictis vero variis sententiis, vicit sententia suadentium, iterum creandos esse decemuiros, qui decem tabulis duas adiecerunt. Postea, quum se in tyrannos vertissent, magistratum

o) videatur DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *libr.* II. *cap.* 2

p) DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *libr.* X. p. 680. pro L. Veturio ponit P. Posthumium. Nam in nominibus non omnino cum LIVIO conuenit.

q) Loco Curatii P. Horatium nominat DIONYSIVS *Halicarnassensis*.

r) conf. LIVIVS *libr.* III. *cap.* 33. et DIONYSIVS *Halicarnassensis*, *loc. excitato*.

gistratum deponere, compulsi sunt. Creati sunt autem decemuiri, Appius iterum et cum eo Q. Fabius, Vibula dictus, qui ter consul fuerat, Marcus Cornelius Maluginensis, Marcus Sergius, Lucius Minutius, Titus Antonius Merenda, Manlius Rabuleius, viri non multum illustres; ex plebeiis autem Quinctus Poelius, Caeso Duilius et Sp. Oppius; LIVIVS [s]) autem de nominibus in secunda creatione decemuirorum cum DIONYSIO [t]) non conuenit. Ait enim hic, quod creati sint cum Appio Claudio M. Cornelius, M. Seruilius, L. Minucius, T. Antonius, Manlius Rabuleius, Q. Petilius, Caeso Duellius et Sp. Oppius. Et praeter morem subito omnes cum duodenis fascibus prodiere, centum viginti lictorum forum implerant, et cum fascibus secures adligatae praeferebantur. Ita decemuiri in tyrannidem versi, omnia pro eorum libidine patrabant, [u]) tribunitiamque potestatem et prouocationem, plebi Romanae duas arces libertatis, penitus ademerunt. Praecedentes vero lictores, XII. numero, turbam verberibus abigebant a compitis. Verum duo nefanda facinora domi militiaeque decemuiros, se abdicare magistratu, compulerunt. Alterum fuit, [x]) quod Siccium in Sabinis per inuidiam decemuiralem tribunorum creandorum, secessionisque mentionem ad vulgus militum sermonibus occultis ferentem, pro speculatum, ad locum castris capiendum, miserunt. Datumque est negotium militibus, quos miserant expeditionis eius comites, vt eum, opportuno adorti loco, interficerent, id quod factum est, licet acriter se tuendo, multis interfectis, haud impune occisus fuerit. Hinc pessima decemuirorum in vulgus fama prodiit. Alterum infandum facinus fuit amor Appii Claudii, [y]) qui quum Virginii filiam perditissime amaret, nec precibus, nec pretio flecteret, Marco Claudio clienti negotium dedit, vt eam in seruitutem adsereret. Quod quum ille conficere, instaret, Icilius, maritus virginis, acriter repugnauit, donec pater ex Algido accitus, vbi Claudii libidini filiam subtrahere non posse, cognouit, *quaeso, Appi*, inquit, [z]) *primum ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te sum inuectus; dehinc finas hic coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit, vt, si falso pater dictus sum, aequiore hinc animo discedam.* Data venia, seducit filiam ac nutricem prope Cloacinae ad tabernas, quibus Liuii temporibus *Nouis* erat nomen, atque,

ibi

s) *libr.* III. *cap.* 35.
t) *libr.* X. p. 682.
u) vid. DIONYSIVM *Halicarnassensem*, et LIVIVM *locis excitatis.*
x) conf. LIVIVM *libr.* III. *cap.* 43.
y) leg. eundem, *libr.* III. *cap.* 44.
z) ibid. *cap.* XXXXVIII.

ibi ab lanio cultro arrepto, *hoc te uno modo, quo possum, filia*, ait, *in libertatem vindico*, pectus deinde puellae transfigit. His igitur duobus facinoribus, tantam inuidiam decemuiri apud patres populumque contraxere, vt, abdicare se magistratu, coacti fuerint. Appius Claudius et Sp. Oppius in carcere exstincti sunt, reliqui octo prius, quam eis dies diceretur, se exsilio ipsi mulctarunt, bonaque eorum omnium, tam mortuorum, quam exsulum, accipientes quaestores vrbani in publicum retulerunt. Creati deinde consules ab interrege, L. Valerius et Marcus Horatius legem tulerunt, ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet. [a])

CAPVT XV
DE PRAEFECTIS TRIBVS CONSVLARI POTESTATE [b])

PRAEFECTI ex patritiis, quamuis totidem ex suo corpore plebs creare senatus decreto posset, facti sunt consulari potestate. Aulus Sempronius Atratinus, L. Atilius, et Titus Caecilius anno tertio octogesimae quartae olympiadis, quo tempore tribuni maxime instabant, vt alter consulum ex plebe crearetur. [c])

CAPVT XVI
DE CENTVMVIRIS

CENTVMVIRI creati sunt ad caussas iudicandas et primum terni ex singulis tribubus iudices electi sunt. Quum decuriae iudicum tres tantum essent; ita fuerunt numero centum quinque. Tamen vsus obtinuit, vt *centumuiri* vocarentur. Immo VARRO [d]) in *re rustica* ait: *centumuiralis iudicii numerus non fuit ad amussim, vt quum dicimus, mille naues ad Troiam isse.* Postea, quarta decuria ab Augusto addita, et quinta a Caligula, creuit iudicum numerus ad centum septuaginta quinque, [e]) qua deinde sublata, restitit numerus intra centum quadraginta,

a) Adeas LIVIVM *libr.* III. *cap.* 55.

b) siue potius: *tribunis militum consulari potestate*. Conf. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 6. et DIONYSIVM *Halicarnassensem*, *libr.* XI. *cap.* 60. p. 736.

c) apud DIONYSIVM *Halicarnassensem, loc. excit.* vocatur Titus Cloelius siculus.

d) *libr.* II. *cap.* 1. p. 102.

e) vid. PLINIVM *libr.* VI. *epist.* 33. ex quo iudicum horum numerum ad centum et octoginta creuisse, patet.

ginta, seruata semper priore adpellatione centum virorum, quamuis legatur apud CICERONEM, [f]) centum viginti quinque iudices equestris ordinis rediisse. Sed locum mendosum esse, credo.

CAPVT XVII

DE PRAEFECTO VRBIS

PRAEFECTI vrbis erat, omnia crimina, quae intra vrbem, centesimumque intra milliarium ab vrbe commissa essent, cognoscere. [g]) Diuus Seuerus ad praefecti quoque officium pertinere voluit, mancipia tueri, ne prostituerentur. Insuper verecundas et iustas seruorum in dominos querelas audire, ad praefectum vrbis pertinebat, atque vt nummularii probe negotium suum agerent, temperarentque ab his, quae prohibita erant. Carnem quoque iusto pretio venumdari, ad praefecti curam pertinebat. Itaque forum suarium sub eius cura erat. Sed et caeterorum armentorum fora, quae ad huius modi praebitionem spectant, ad officium praefecti pertinebant. Quies quoque popularium et disciplina spectaculorum ad praefectum vrbis spectabat, qui milites quoque stationarios dispositos habere debebat, ad tuendum popularium quietem, et ad referendum sibi, quod vbique agebatur. Et vrbe interdicere praefectus vrbis; et aliis solitis regionibus poterat; et negotiatione; et professione et aduocationibus; et foro; et ad tempus; et in perpetuum interdicere poterat, et spectaculis, et, si quem relegasset ab Italia, submouere eum et a prouincia sua poterat. [h]) Diuus Seuerus rescripsit, etiam eos, qui, illicitum collegium collegisse, dicti fuissent, apud praefectum vrbis adcusandos esse. Qui quum terminos vrbis exiuisset, potestatem non habebat. Praefectura autem vrbana cunctis, quae intra vrbem erant, antecellebat dignitatibus et potestatibus. Sed praefectorum forma varie habita atque saepe mutata est. Nam Augustus permisit senatui praefectos deligere. [i]) Deinde ambitu suffragiorum suspecto sorte ducebantur ex numero praetorum, qui praeessent; nec id diu permansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quaestores rursum imposuit, hisque, ne metu offensionum segnius

f) *orat. pro Planc. cap.* XVII. vid. in primis MANVTIVM *ad hunc locum.*

g) conf. GVIDONEM PANCIROLLVM *notit. dignitat. imperii occid. cap.* III.

h) adde GVID. PANCIROLLVM *loc. excit.*

i) conf. DIO *Cassius libr.* LII. p. 478. et TACITVS *libr.* VI. *annal. cap.* II.

segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed deerat robur aetatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit. Praefecti vrbis maximam auctoritatem fuisse, ostenditur in vita Seueri imperatoris, vbi legi licet, censorem, qui ius iudicandi de praefectis eminentissimis habuit, nullam in praefectum vrbis potestatem habuisse. Initium epistolae Diui Seueri, missae ad Fabium Chilonem, ita est: *quum vrbem nostram fidei tuae commiserimus, quidquid intra vrbem admittitur, ad praefectum vrbis pertinere videtur; sed et si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad praefectum vrbis pertinet; si vltra ipsum lapidem egressus est, praefecti vrbis cognitio non est.* Marcus Varro et Atteius Capito, vt GELLIVS k) refert, scribunt, ius fuisse praefecto, senatus habendi.

CAPVT XVIII.

DE PRAEFECTO PRAETORIO

PRAEFECTVS praetorio ad vicem magistri equitum antiquitus institutus est, vt quidam volunt. Quum enim apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, et equitum magistros sibi deligerent, qui adsociati principali curae militiae gratia secundam post eos potestatem gererent, reipublicae regiminibus ad imperatorem perpetuo translatis, ad similitudinem magistrorum equitum, praefecti praetorio a principibus electi sunt. Data est eis plenior facultas, ad disciplinae publicae emendationem. His cunabulis praefectorum auctoritas inita in tantum meruit augeri, vt adpellari a praefecto praetorio non posset, sublata prouocandi facultate. Credidit enim princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide et grauitate, ad huius officii magnitudinem adhibiti fuissent non aliter iudicaturos esse pro sapientia; ac luce suae dignitatis; quam ipse esset iudicaturus. l) Erant etiam praefecti praetorio subnixi alio priuilegio, ne a sententiis eorum minores aetate ab aliis magistratibus, nisi ab ipsis praefectis praetorio restitui possent. Praefectus autem praetorio, Roma regibus parente, *celerum tribunus* adpellabatur; sub dictatoribus vero *magister equitum*. Praefecti praetorio primum tres, Commodo Antonino imperante, fuerunt.

CAPVT

k) *libr.* XIIII. *noct. Attic. cap.* 8.

l) vid. ANDR. DOM. FLOCCVM *de potestat. Rom. libr.* II. *cap.* 23. p. 229. et adde *digest. de orig. iur.* l. II. §. *deinde* cet.

CAPVT XVIIII
DE PRAEFECTO VIGILVM

PRAEFECTVS vigilum ab Augusto initium habuit, qui septem cohortes opportunis locis constituit, vt binas regiones vrbis vnaquaeque cohors tueretur. Praeposuitque illis cohortibus tribunos, et super omnia spectabilem virum, qui *praefectus vigilum* dictus est a nocturnis vigiliis. Hic de incendiariis cognoscebat, effractoribus, furibus, raptoribus et receptatoribus; maxime vero atrox poena famosaque persona praefecto vrbis remittebatur. Debebat vero praefectus vigilum totam noctem vigilare et coerrare calceatus et cum armis, et dolabris, omnesque inquilinos admonere, ne per negligentiam aliquam incendii casus oriretur, praeterea, vt vnusquisque inquilinus copiam aquae in coenaculo suo haberet, admonere, iubebatur. [m]) Caeterum praefectus vigilum aduersus capsarios cognoscebat, qui mercede seruanda in balneis vestimenta suscipiebant, si quid in illis seruandis fraudulenter admisissent. Ad praefectos etiam vigilum pertinebat, fugitiuos conquirere, eosque dominis reddere.

CAPVT XX
DE PRAEFECTO AEGYPTI

PRAEFECTVS Aegypti non prius deponebat praefecturam et imperium, ad similitudinem proconsulis lege sub Augusto ei datum, quam Alexandriam ingressus esset successor eius, licet in prouinciam venisset. Verum fasces consulares ingredi Alexandriam, nefas habebatur. Fertur etiam apud Memphim in aurea columna Aegyptiis fuisse litteris scriptum, tunc demum Aegyptum liberam fore, quum in eam venissent Romani fasces et praetexta Romanorum, vt legi licet in Aemiliano, vno ex XXX tyrannis.

CAPVT XXI
DE PRAEFECTO ANNONAE

PRAEFECTI annonae cura erat, in difficili annonae caritate frumentum vndique coemere et, vt vndique Romam adueheretur, operam nauare, praeterea, vt iusto pretio veniret et, si quis plus, quam proprius

m) vid. eumdem *libr. excit.* p. 132, qui, vt noster auctor sua, ex iis, quae in *digestis* de officio praefecti vigilum habentur, hausit.

proprius vsus exigeret, haberet, in medium depromeret. Coepti sunt autem praefecti annonae, creari T. Geganio, P. Minutio consulibus, primumque annonae praefectum fuisse tradunt L. Minutium, licet quidam, P. Valerium et L. Geganium primos in Siciliam missos, pro aduehendo frumento, velint. n)

CAPVT XXII

DE PRAEFECTO LEGIONIS o)

PRAEFECTVS legionis habebat continue primi ordinis dignitatem, atque absente legato tamquam ipsius vicarius potestatem maximam retinebat, tribunique et centuriones caeterique milites eius praecepta seruabant, vigiliarum; seu profectionis tesseram ab eo petebant, praefectique legionis auctoritate, si miles crimen aliquod admisisset, a tribuno ad poenam deputabatur. Arma omnium militum, vestes, equi, annona in praefecti legionis cura erant: disciplinae ius et seueritas exercitus, non solum peditum; sed etiam equitum legionariorum praecepto eius quotidie curabatur. Ipse autem custos diligens et sobrius legionem, sibi creditam, adsiduis operibus ad omnem deuotionem deformabat et industriam, sciens, ad praefecti laudem subiectorum redundare virtutem.

CAPVT XXIII

DE PRAEFECTO CASTRORVM

PRAEFECTVS castrorum post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur, vt recte doceret alios, quod ipse cum laude fecisset. Hic, praefecto legionis, dignitate inferior erat; non mediocria tamen munera subibat, nam in huius officio castrorum positio, vallique et fossae destinatio erat. Caeterum tabernacula; vel casae militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur. Praeterea agri contubernales et medici, a quibus curabantur; expensae etiam ad eius

n) vid. quae de Pompeio, annonae praefecti prouinciam administrante, CICERO *pro domo*, *cap.* V. et *libr.* IIII. *epist.* I. *ad Atticum* deque Augusti instituto SVETONIVS *vit.* eius, *cap.* XXXVII. et DIO *Cassius libr.* LIIII. p. 521. memoriae prodiderunt. Add LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 12.

o) de tribunis militum loquitur auctor noster, vt omnes rationes docent, vid. IVST. LIPSIVM *libr.* V. *de milit. romana*, *dialog.* 10. *tom.* III. *oper.* p. 314.

eius industriam pertinebant, vehicula, sagittarii, nec non etiam ferramenta, quibus materies secatur; vel caeditur, quibusque fossae aperiuntur circa situm valli et aquae ductus; item ligna; vel stamina, arietes, onagri, ballistae caeteraque genera tormentorum, ne deessent aliquando, praefectus castrorum procurabat. p)

CAPVT XXIIII

DE PRAEFECTO FABRORVM

PRAEFECTVS fabrorum fabris lignariis, instructoribus, carpentariis, ferrariis, praetoriis reliquisque artificibus, ad hibernorum aedificia fabricanda, ad machinas turresque ligneas caeteraque, quibus vel expugnantur hostium ciuitates; vel defenduntur propriae, praeparatis praeerat. Etiam, qui arma, vehicula caeteraque genera tormentorum vel noua facerent; vel quassata repararent, praefecto fabrorum subiacebant. Praeterea fabricae scutariae, loricariae, arcuariae, in quibus sagittae, missilia, cassides omniaque armorum genera formabantur, a praefecto fabrorum procurabantur, cuius cura praecipua erat, vt, quidquid exercitui necessarium videbatur, numquam deesset in castris, ita vt etiam cuniculares haberentur, qui ad morem Bessorum ducto sub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfossis, improuisi emergerent, ad vrbes hostium capiendas. q)

CAPVT XXV

DE TRIVMVIRIS NOCTVRNIS

TRIVMVIRI arcendis incendiis praeerant, antequam praefectus vigilum esset factus, qui et *nocturni* dicti sunt ab eo, quod excubias agebant. Interueniebant nonnumquam aediles et tribuni plebis.

CAPVT XXVI

DE DVVMVIRIS CAPITALIBVS

DVVMVIRI capitales a Tullo Hostilio rege constituti sunt, quum de capite Horatii ageretur, qui victor rediens, interfectis tribus Curiatiis Albanis, sororem Horatiam, ad portam obuiam, aegriter flentem,

p) vid. VEGETIVM *libr.* II. *cap.* 10. TACITVM *libr.* I. *annalium. cap.* 20. *libr.* XIIII. *cap.* 37. et *libr.* II. *histor. cap.* 29

q) vid. VEGETIVM *libr.* II. *cap.* 11. et CICERONEM *libr.* III. *epist.* 8. ad *famil.*

sent, quod interfectorum Curiatiorum vni nupta esset, occidit. r) Creati igitur duumuiri a Tullo Hostilio, vt Horatii caussam cognoscerent, illum capite plectendum censuerunt. Sed ille prouocans ad populum, patris lacrimis est condonatus. Hi vero, quod de capitalibus quaestionibus iudicarent, carcerque rerum capitalium in eorum cura esset, *duumuiri capitales* dicti sunt. Sed apud Romanos nullum capitale iudicium, quam illud Horatii, prius; nec prouocatio vetustior legitur. s) Alii vero duumuiri creati sunt ad aedes sacras locandas et faciendas, ad aquas in vrbem deducendas, ad classem ordinandam et reficiendam. Ii dicebantur *duumuiri nauales*. t) Creati et alii duumuiri, qui praeessent sacris faciendis, u) ii carminum Sibyllinorum et fatorum populi Romani interpretes et antistites erant Apollinis sacri et aliarum caerimoniarum. Quibus additi octo et facti *decemuiri*. x) Deinde, quamuis quinque adderentur, vt quindecim essent; y) tamen remansit nomen decemuirorum. Fuit duumuiratus aliquando magistratus municipalis. Is locabat publica, potestatemque habebat, dimittendi e carcere. Erat enim municipiorum defensor et eius fere dignitatis, qualis in vrbe censura. Creabantur autem hi duumuiri a decurionibus. Graeci *Syndicos* adpellant, vt iurisconsultus prodit. z) De his lege PAVLLVM *titulo de actionibus*, et VLPIANVM *de damno infecto*.

CAPVT XXVII

DE TRIVMVIRIS COLONIAE DEDVCENDAE

TRIVMVIRI deducendae coloniae agros nouis colonis deductis diuidebant vrbesque designabant ac aedificare volentibus areas partiebantur, commodis regionibus ciuitatem distinguebant, legibus et magistrati-

r) vid. FLORVM *libr.* I. *cap.* 3. et LIVIVM *libr.* I. *cap.* 26.

s) conf. SIGONIVS *de iudic. libr.* III. *cap.* 4. et 15. et HOTOMANNVS *de magistrat. tom.* II. *thes. ant. Rom.* GRAEVII, p. 1879.

t) lege LIVIVM *libr.* VIIII. *cap.* 30. *libr.* XXXX. *cap.* 18. *libr.* XXXXI. *cap.* 1.

u) temporibus nimirum Tarquinii, teste DIONYSIO *Halicarnassensi*, *libr.* IIII. p. 259.

x) apud LIVIVM *libr.* VII. *cap.* 27. *libr.* XXII. *cap.* 9. *libr.* XXXVI. *cap.* 37.

y) factum id sub caesaribus. Vide SVETONIVM *vit. Aug. cap.* XXXI. §. 1. et TACITVM *libr.* VI. *annal. cap.* 12.

z) conf. CAIVS *digest.* l. I. *quod cuiusque vniuersit. nom.* et PAVLLVS l. *item eorum* §. I. *digest. d. t.*

gistratibus sistebant. Primi vero traduntur Agrippa Menenius, T. Cloelius Siculus, Marcus Aebucius Elua. a)

CAPVT XXVIII

DE PRAEFECTO AERARII

PRAEFECTVS aerarii publicas pecunias curabat, proscriptorum damnatorumque bona in aerarium redigebat, praeterea omnia vectigalia ad rem publicam spectantia. Est autem praefectus generale vocabulum. Nam et legionum, alarum, cohortum, vrbis, aerarii, castrorum, praetorii, annonae, vigilum.

CAPVT XXVIIII

DE QVINQVEVIRIS MENSARIIS

VIRI quinque mensarii a pecuniae dispensatione adpellati sunt. Nam quum plebs grauem aeris alieni magnitudinem sustinere non posset, senatus solutionem in publicam curam vertit. Quinque igitur viri creati sunt ad dispensandam pecuniam, C. Duilius, P. Decius Mus, Marcus Papinius, Q. Publilius, T. Aemilius. b) Hi, aere in foro posito, aes alienum persoluerunt, iubente senatu. Erant et quinque viri extraordinarii magistratus, qui primo creati sunt imperio consulari de legibus scribendis, c) deinde agris diuidendis, d) quibus aliquando triumuiri praeponebantur, tertio de muris turribusque conficiendis, e) nonnumquam minuendis sumtibus, quum imperatoris liberalitate grauari videretur res publica.

a) vid. LIVIVM *libr.* IIII. *cap.* 11. *libr.* VI. *cap.* 21. *libr.* VIII. *cap.* 16. *libr.* VIIII. *cap.* 28. *libr.* XXXI. *cap.* 49. *libr.* XXXII. *cap.* 29. et DIONYSIVM *Halicarnassens. libr.* VII. p. 428. et *libr.* VIIII. p. 615.

b) lege LIVIVM *libr.* VII. *cap.* 21.

c) loquitur auctor noster de decemuiris legibus ferendis, ao. V. C. CCCII. creatis. Conf. LIVIVM *libr.* III. *cap.* 25. 33. sq. 44. sq. *cap.* 52. 57. sq.

d) quorum itidem nonnumquam decem fuerunt. Vid. LIVIVM *libr.* XXXI. *cap.* 4.

e) teste LIVIO *libr.* XXV. *cap.* 7.

CAPVT XXX
DE PROCVRATORE CAESARIS

PROCVRATOR Caesaris eam habebat auctoritatem, vt, quidquid gessisset, sic imperator comprobaret, ac si ipse gessisset. Dominium tamen rei Caesaris ius ei transferre non erat, sine imperatoris consensu, prius adhibito, quo sine si quid vendidisset; seu donauisset et transtulisset, ratum non erat. Nam vt non alienaret; sed vt diligenter gereret, res Caesaris ei commissa erat. LAMPRIDIVS in *Seuero* [f]) procuratores interpretatur *rationales*, in quorum similitudinem, qui rem priuatam curant, *procuratores* COLVMELLA [g]) nominauit. Erat autem procuratoris officium, rationes omnium redituum, qui ad Caesarem spectarent, procurare diligenter cum facultate defendendi et adquirendi. [h])

f) *cap.* XXXXVI. p. 999.
g) *de re rust. libr.* I. *cap.* 6.
h) vid. DIONEM *Cassium*, *libr* LIII.

F I N I S.



